

**www.e-rara.ch**

**D. Aurelii Augustini Hipponensis episcopi liber de haeresibus, ad  
Quodvultdeum**

**Augustinus, Aurelius**

**[Genf], 1576**

**Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich**

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9746>

[Capita I.-X.]

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



# CATALOGVS HÆRESEΩN,

A C P R I M V M

*Hæreses ex commentarijs Eusebij & Epi-  
phanij collecta, per D. Aurelium  
Augustinum Hipponensem  
Episcopum.*

## C A P V T I.

Simoniani vnde dicti. Erroris autem capita sex præcipua  
hic enumerantur.



Simoniani à Simone Mago,<sup>1</sup> qui ba-  
ptizatus à Philippo Diacono (sicut  
in Act. bus<sup>2</sup> Apostolorum legitur)  
pecunia voluit emere à sanctis A-  
postolis, ut etiam per impositionem  
manus eius daretur Spiritus sanctus. Hic magicis  
fallacys deceperat multos. Docebat<sup>3</sup> autem dete-  
standam turpitudinem indifferenter vtendi fœmi-  
nis. Nec Deum fecisse mundum. Negabat etiam  
carnis resurrectionem. Et asserebat se esse Christum.  
Itémque Iouem se credi volebat. Minervam verò  
meretricem quandam<sup>4</sup> Selenen, quam sibi sociam  
scelerum fecerat: imaginésque & suam & eiusdem

meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas  
 & Roma tanquam deorum simulacra autoritate  
 publica constituerat. In qua vrbe beatus Aposto-  
 lus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute ex-  
 tinxit. Dixerat enim se in monte Sina Legem Moy-  
 si in Patris persona dedisse Iudæis. Tempore Tibe-  
 rii in Filij persona putatiuè apparuisse: postea se in  
 linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos  
 venisse: Christum autem nec venisse, nec à Iudæis  
 quicquam pertulisse.

I Simone Mago.) Hic Simon omnium quæ  
 sub Euâgelio postea secutæ sunt hæreson fons  
 & parens fuit, quemadmodum Irenæ. lib. 1. cap.  
 30. & August. lib. 2. contra aduersar. Leg. & Pro-  
 phetar. cap. 12. tradunt, non tantum primus in-  
 ter Christianos hæreticus. Vnde illius hæresis,  
 matrix & radix omnium appellatur, à qua o-  
 mnis *ἑσθίοντος* Dei cognitio & adulterina ini-  
 tium sumit, quemadmodum idem scribit Ire-  
 næus libr. 1. cap. 20, & 30. & ex eo refert Euseb.  
 lib. 1. Hist. cap. 13. tam fuit nimirum magus i-  
 ste idoneum Sathanæ instrumentum ad perden-  
 dum & fascinandum genus humanum. Augu-  
 stinus tamen in Psal. 54. Capernaitarum erro-  
 rem, qui corpus Christi frustulatim & corpo-  
 raliter in sacra Cœna edi, verbâque Christi de  
 corpore suo manducando carnaliter, non spiri-  
 tualiter accipi oportere censebant, primam hæ-  
 resin facit, quam tamen nullius alterius erroris  
 fontem

fontem constituit, utpote qui nondum eas controuersias vidisset, quas hæc ætas nostra super sacra Domini Cœna mouet. Quod August. dictum est in Cano. Prima quidem. Distinct. 2. De Consecrat. Itaque eam hæresin prætermittit hic Augustin. tãquam suo seculo infœcundã & sterilem. Simonianorum autem caput & stirpem omnium ex totius Ecclesiæ recepta sententia facit. Ac primum ab eo fonte amarissimo deducti & orti sunt septem alij riuuli, qui primùm in solam Iudæã irruerunt, magnùmque illi ad suscipiendam Christi fidem impedimentum attulerunt. Hi autem à suis authoribus ita nominantur, Cleobiani, Dositheani, Gortheani, Masbothei, Adriani, Eutychistæ, Canistæ ut refert Theodoret. lib. 1. Hæretic. fabular. & Euseb. ex Hegeffippo lib. 4. Histor. Eccles. cap. 22. qui etsi statim exaruerunt, ex iis alij surculi sunt enati, & ex illis septem Canistæ (qui à moribus turpissimis ita sunt appellati) fuerunt terriores, quanquam Clemens Alexandr. libr. 7. Stromat. putat fuisse Eutychitas, sed errorem subesse in codicibus impressis nemo qui aliorum de iisdem rebus scripta legerit, dubitabit. Fuit autem hic Simon Samaritanus ex oppido Gython vel Gyttis, qui tempore Epiphaniæ erat adhuc vicus in Samaria, ut ipse scribit lib. 1. Tom. 2. & cum eo consentit Iustinus Martyr in priore Apologia: primùm homo obscurus, sed qui propter magicas artes claruit, ut sunt homi-

nes vanarum & stupendarum rerum cupidi, ad-  
 deò vt antequam Euangelium illis in regioni-  
 bus prædicaretur, plurimum etiam in media ip-  
 sa vrbe Samaria celebraretur: sed miraculis  
 quæ à Philippo, postea verò à Petro fiebant, ob-  
 stupefactus, maiora, quàm quæ ipse arte illa sa-  
 thanica præstare posset, effecta ab iis edi con-  
 templatus & admiratus, accessit ad religionem  
 & Baptisma Christianum, quod, quemadmo-  
 dum ait Epiphan. nomine & titulo tenus am-  
 plexus est: ceterùm summus semper fuit hypo-  
 crita. Eò tamen nocentior Christianæ religioni  
 fuit, quòd & quædam de ea didicisset, & no-  
 men Christianum profitebatur. Cœpit autem  
 hæc hæresis nõ quidem sub ipso Christo, quod  
 tamen sensisse videtur Epiphanius cùm ait, *Σί-  
 μονος γίνεται ἡ Μάγου ἢ ἀερέτη ἀίρεσις ἀπὸ Χριστοῦ καὶ Ἰδο-  
 πο ἀφ' ἐξαμέην*: sed post Christum & mortuum & in  
 cœlum receptum, sed nec proximo post mortē  
 Christi anno, quanquam tamen omnium, vt  
 scribit Tertullianus, qui ex Euangelio hæretici  
 esse voluerunt, primus fuit Simon Magus. Nec  
 enim assentior Ioanni Funcchio, qui omnia quæ  
 à primo capite Actorum Apostolicorum ad  
 nonum vsque continentur anno à morte Chri-  
 sti primo contigisse scribit. Sic igitur supputo.  
 Anno post mortem Christi primo Stephanus  
 protomartyr pro Christi nomine passus est: quo  
 tempore propter persecutionem Hierosoly-  
 mis excitatam dispersi sunt per Iudæam & Sa-  
 mariam

mariam plures fratres & fideles, Actor. 8. inter quos & Philippus vnus è septem diaconis, qui cum aliquandiu Samariae prædicasset Euangelium, missus est Petrus tandem cum Ioanne Samariam. Quod non nisi secundo post Christum mortuum anno accidere potuit. Adhuc erat à partibus ecclesiae Simon Magus, qui nec ipse statim hæresim illam suam vel fingere vel propagare potuit. sed cum postea se propter manifestam hypocrisin, suamque artem, quod esset magica, cõtemni à piis & Christianis perspiceret, nec inter eos recipi posse videret, vt aliquo tamen honesto prætextu pro Christiano & *εὐαγγελιστῆ* homine inter ignaros se vendicaret, impia illa deliria commentus est. Nam nec cum nisi postquam Samaria excessisset, illa disseminare ausum fuisse scribunt historici Ecclesiastici: sed tunc maximè postquam Romam venit, vbi omnia illo seculo, vt etiam hoc nostro, licebant. Adcò vt non nisi sub initium imperij C. Caligulae hanc hæresim cœpisse existimem, nec illis assentior qui Simonem Magum sub Tiberio Romam venisse sentiunt: totumque illud quinquennium quod fuit à morte Christi ad finem imperij Tiberiani ab ea hæresi liberum constitit. Ergo sub Caligula cœpit hæc hæresis, circa annũ à Christo passo sexum, cum etiam iam Euangelium propagaretur, quia inimicus ille diabolus zizania seminare vnà cum bono semine in agro Domini statim studuit,

Matth. 13. vers. 24. Diffusa autem est latissimè non quidem ipso Simonianorum nomine, sed interpellato Menàdrianorum, Saturnianorum & aliorum. Quotquot enim fuerunt postea hæretici, (suas feces ex hoc cœno hauserunt. Scribit tamen Gregorius Turonensis libr. 10. cap. 24. etiam suo seculo & antea sub Martiano Imperatore Cōstantinopolitano in Gallia repululasse, adeò nihil tam fœdum est, quod Sathã regerere curiosis & veritati Dei non acquiescentibus hominibus non audeat. Perpetuam tamen vt aliæ multæ, successionem & continuam non habuit, tum quod autoritate Apostolorum repressa sit, tum etiam quòd propter absurdissima quæ habebat dogmata, contempta sit & à Christiana fide vel leuiter linitis hominibus irrifa. Quare vana est eorum narratio qui affirmant Petrum, cùm hunc videret venena sua vbique spargētem, secutum esse in quascunque ille profectus esset terras, & tandem Romæ publicè cum eo pro religione Christiana miraculis certasse. Id quod in annum secundum imperii Claudii collocant, quemadmodum Platina. Hoc autem accidisse non potuit. Fuit enim vsque ad concilium Hierosolymitanum in Syria Petrus, id est, vsque ad annū Clodii nonum: postea Babylone vixit, (siue illa Chaldæorum, siue Ægyptiorum accipiatur) vnde primam suam Epistolam scripsit. Denique ne in posteriore quidem sua Epistola quam morti

morti iam proximus scripsit, 2. Pet. I. vers. 14. Romæ meminit. Romæ tamen aliquandiu Simonem Magum vixisse, cum Iustino Tertullianus testatur in Apologet. cap. 13. cui statuat cū inscriptione hac, SIMONI SANCTO DEO, in campo Martio pop. R. dedicauit, ab isto impostore magicis portētis delusus & fascinatus. Nam eæ artes sub Tiberio iam sene & Caligula Imp. Romæ plurimum inualuerant. Tandem verò cū effecta vanissimæ artis vellet ostentare, & per aerem volaret, decidit, & fracturæ statim miserrimè periit vulgi fabula factus, & ἀγύρτης siue præstigiator deprehensus. Deest autem vox aliqua, qualis, nominati sunt, quæ infrà cap. 5. addita est, sed incuria scribarum videtur prætermissa.

2. *Actibus.*) Locus est Actor. cap. 8. v. 13. & 18. Ex eo autem quòd sacra emere primus iste sub Euangelio tētavit, appellatū est crimen Simonix illud, in quo spiritualis res, qualis sacramenta, oratio, dignitas & munus aliquod ecclesiasticū, pro pretio terreno & tēporali venditur vel emitur. can. Qui pro pecunia. i. quæst. j. cano. Altare. i. quæst. iij. Quanquam Canonistæ ex Scholasticorum sententia distinguunt, vt emptores quidem rerum spiritualium dicantur Simoniaci: venditores autem Giezi à Giezi seruo Elisæi Prophetæ, 2. Reg 5. vt est apud P. Lombardum lib. 4. dist. 25. & ibi Durandus questio. 3. vide Thomam 2. 2<sup>a</sup>. quæst. 100.



nis resurrectionem vllam fore negavit. 6 Morum turpitudinē omnem, & promiscuum mulierum concubitū induxit. Quæ quot & quantarum postea hæreseon fundamēta & delineamenta fuerint, iam examinemus. Postea ad alias eius hypotheses accedemus. Quod ad primum caput, de eo Augustino cum Tertulliano, Irenæo, Theodoro conuenit. Hoc autem diuinam naturam & essentiam euertit, quæ nihil humanæ & creatæ naturæ simile habere docetur passim in Scriptura. Itaque verum Deum Patribus & Patriarchis ignotum fuisse docuit. Hæc vna stirps postea multas & infelicissimas propagines habuit. Produxit enim Menandrianos, Cerinthianos, Nicolaitas, Saturnianos, Basilidianos, qui omnes verum Deum Patribus & Prophetis ignotum fuisse impudentissimè affirmarunt. Produxit postea Tertullianistas & Anthropomorphitas, qui diuinā essentiam humanis membris efformarunt. Dedit denique Turcismi siue Mahumetismi primordialia principia. Secundus error est, qui Patrē & Filiū, & Spiritum sanctum diuersa tātū esse eiusdem personæ nomina pro diuersa eius operatione docet. Ergo se vnum & eundē esse inter Samaritanos Patrem: inter Iudæos Filium: inter gentes Spiritum sanctum. Hoc dogma postea Sabellianos genuit & propagauit, itémque infauitos istos surculos, nimirum Samosatēnianos, Montanistas, Praxianos, Photinianos, Priscil-

lianistas, præterquam quòd Iudæorum etiã errorem qui Trinitatem negãt, confirmavit tanquam à Christianis ipsis defensum & comprobatũ. Tertius error est, Mundum ab Angelis conditum esse, non à Deo. Hic articulum fidei nostræ fundamentum, de Patre creatore evertit, seminavitque præter superiores hæreses etiam Marcionitas & Manichæos, & quia tãtũ honoris Angelis defert, Angelicos hæreticos peperit, & Ἀγγελολατρείαν induxit, quam damnavit iam subolescentem suo seculo Paulus Col. 2. Quartus error, Christũ non venisse in carnem, sed ipsum Simonem fuisse Christum, qui nõ verè, sed imaginariè passus sit. Hoc dogma infinitas hydras postea peperit & hæreses teterrimas, quod iam suo seculo natum vidit, & aduersus illud decertavit Ioannes, I. Ioann. 4. v. 3. Profeminavit igitur Valentinianos, Cerdonianos, Marcionitas, Aphthardocitas, Docitas ipsos & Samofatenianos. Turcismi denique magna fundamẽta iecit. Hoc enim ipsum de Christo Turcæ sentiunt. Quintus error, negat carnis resurrectionem, quemadmodum etiam scribit Epiphanius. Hoc scholæ Simonianæ dogma præter iam enumeratas hæreses Basilidianorũ, Valentinianorum, Carpocratianorum, etiam Apellitas, & Hierarchitas instruxit & informavit. Quanquam iam cõtrà disputasset copiosissimè Paulus I. Cor. 15 Deniq; negãdę vitæ eternæ & futurę occasionem dedit. Vnde Epicur-

ræismum,

reismum, Atheismū, & Libertinismū pcreauit. Sextus error, qui quia gratia & fide iustificamur, omnem ad vitia fenestrā patefecit, vt docet ex Simonianorum sententia Theodore- tus, Basilidianos, Gnosticos, Manichæos, Actia- nos, Eunomianos, & homines ἐμπαίντες turpif- simos quos Petrus vocat, induxit in Eccle- siam Dei, aduersus quos & Petrus ipse 2. Pe- tri 2. & Iudas in sua epistola. de qua ipsa peruer- sa gratiæ Dei interpretatione conqueritur Pau- lus Rom. 3. versu 8. & à scortatione abstinend- um esse contra Simonis decreta iam subole- scentia monet concilium Apostolorum Actor. 15. versu 29. Hanc turpitudinem Mahumetani sunt amplexi. Ad has autem Simonianorū hy- potheses addunt alij alias. Ireneus hanc 7. Ma- giæ & incantationum, & exorcismorum diabo- licorum vsum, lib. I. cap. 30. Theodoretus hanc 8. Idololatriam apud eos fuisse rem ἀδιάφορον, & quam cum Euangelij professione sequi se posse & miscere contenderent contra præce- ptum Pauli 1. Corinth. 8. & 10. versu 21. Epipha- nius has etiam adiicit. 9. Menstrua scemina- rum ad sua sacra scœdissimè adhibuisse: quod & Gnostici & Manichæi sequuti sunt. 10. Nomi- na barbara Angelis indiderunt, quos à se per- pleromata in Helena sua procreatos dixit Si- mon. Vnde Æones & pleromata Valentinia- norum nata sunt. 11. Legem Mosis non esse Dei, sed infaustæ & sinistra cuiusdam virtutis

inuentum. 12 Spiritum sanctum esse Helenā Simonis. Hoc Priscillianistæ & Mōtanus sunt imitati. 13 Spiritum sanctum non esse nomen rei & essentia, sed energia & operationis. Itaque à se vno esse mentem, vocem, & rationem. Hoc Seruetani, & ex Platoniorum lacunis haustum est. Plato Epist. 3. ad Dionem. 14 Animā non pollui vitiis, sed tantum carnem, vnde sceleratam discipulorum suorum vitam non damnarunt Simoniani, vti nec Gnostici heretici. Ex quo iam apparet quot feces ex hoc vno turpissimo cœno profluxerint & emanarint. Magna horum errorum pars iam temporibus Apostolorum innotuerat. Itaque aduersus hereses quas appellāt ἀπολείας, & mores dissolutos acerrimè inuehūtur 2. Petri 2. Iud. epistola, Galat. 5.

4 *Selenen.* Alij Helenam vocant, vti Epiphanius & Irenæus & Theodoretus, quæ sit ea ipsa propter quam Troianum bellum susceptū est: & ouis illa perdita propter quam quærendam è cælo descendisset immutata Dei forma, ne ab Angelis qui cuique cælo præsumt, agnosceretur. Ita os impudens sacro Christi dicto abutebatur, quod est Math. 15. & 18. vers. 12. Consentit cum Augustino Eusebius lib. 2. cap. 12. Histor. & quum locum ex Irenæo transcripserit, apparet apud Eusebium mendum esse, & pro Selenam, Helenam reponendum. Sed facile fuit ex Ελένη imperito scribæ facere Σελένη, &

& postea *σολών*. Fuit autem ista Tyrium scortū quod è telonio abs se abductam habuit in deliciis Simon Magus, quam vt omnibus commēdaret, vti suam Ageriam Numa Pompilius, deā & Spiritum sanctum, & *ἔννοια* diuinam appellabat, & esse affirmabat: ex qua Angelos procrearet, aded nihil est frontis in tam miseris hominibus, quos semel Satan inani gloriæ & lucri cupiditate etiam in media Ecclesia fascinauit.



## CAP. II.

Menandriani cur sic dicti. Erroris autem caput vnum recitatum.

**M**enandriani à Menandro <sup>1</sup> etiam ipso mago, discipulo eius qui mundum asseribat <sup>2</sup> non à Deo, sed ab Angelis factum.

1. Menandro) Controuersa quæstio est inter Chronologos, vtri priores vixerint & innotuerint Menādriani isti an Nicolaitæ ij de quibus postea idem Augustinus. Multis enim videtur Nicolaitas præcessisse, qui procul dubio sub Ioanne Euāgelista & ante illius exilium virus & venenum suum sparserint, Apocalypf. 2. versu 6. circa annum imperiij Domitiani, vt illi volunt, duodecimum. Sic Ioann. Funccius. Pla-

tina etiam antea fuisse scribit, nimirum sub Vespasiano imperatore septimo eius cōsulatu, qui incidit in annum à Christo passo 45, & sub Clemente primo Roman. Episcopo, quem volunt successisse Lino. At iidem collocant & reiciūt Menandrianos in annum imperij Domitiani 13. qui est annus à Christo passo sexagesimus secundus, vt Menandriani sint posteriores Nicolaitis septemdecim annis ex Platina & sententia & supputatione. Sed hæc falsa est. Primùm enim doceri potest expungendum esse ex albo Pontificum Clementem, nec eum vnquã fuisse Episcopum Romanum. Deinde meliorum authorum, à quibus nec Platina, nec alij discedere debuerunt, calculo, hic Augustini ordo comprobatur, nēpe Tertulliani in lib. de præscriptio. Irenæi lib. 1. cap. 21. Eusebij lib. 3. cap. 26. Epiphani. lib. 1. Tom. 2. Theodoret, qui præ Platina sunt classici authores, & minus ab illis temporibus remoti. Sunt ergo Menandriani Nicolaitis hæreticis tempore priores: itaque hinc suo loco ab Augustino collocati. Dicti autem sunt à Menandro Menandriani vulgò: ab Egesippo autem Menandrianistæ, vt scribit Eusebius lib. 4. cap. 22. Sunt enim vtrique iidem, primarij illi quidem è Simoniana stirpe surculi, & ex primo & impurissimo Simonianorum fonte riui foetidissimi, nec minus quàm priores horrendi & detestabiles. Fuit autem Menander Simonis Magi & conterraneus & contemporaneus, etsi

etate iunior. Nam, vt ait Epiphanius, aliquanto tempore cum eo vixit, tamen fuit primarius eius discipulus & ipse apertè magus, artésque magicas exercens, baptizatus tamen & baptizans, homo spurcissimus & impiissimus, cuius vitæ exitus quis fuerit nõ est annotatum à scriptoribus: & hunc tamen suæ in Christum blasphemiæ pœnas sensisse credibile est. Fuit etiã primus Gnosticorum hæreticorum, qui postea innotuerunt, fons & author, vt scribit Iren. lib. 3. c. 4. Romæ vixit sub Tito imperatore, quo maxime tempore post mortem Simonis magistri sui cœpit inclarescere. Eò enim se receperat ppter varias afflictæ gentis suæ & Iudaicæ in ipso Iudææ solo calamitates. Fuit Samaritanus ex vico Chabrai, vt ait Theodoret. quem tamè Euseb. appellat Capparetæã. Cœpit igitur hæc hæresis circa annũ à Christo passõ 49. quo regnavit Titus. Hæc Simonianorum hæresin, vti serpens serpentẽ & nati viperæ matrem ipsam, absumpsit, vt suo nomine innotesceret, quæ tamen ipsa, vt ait Epiphanius, statim esse desuit. Nam à Saturniana & Basilidiana hæresi deleta est.

2 *Asserebat*) Partim cum Simonianis Menandrianos consensisse, partim etiam dissensisse testantur vnà cum Augustino Tertullianus & Epiphanius. Eadem enim Menander dixit, ait Tertullian. quæ Simon ipse: quicquid se Simon esse dixerat, hæc se Menander esse dice-

bat, negans habere posse quęquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Sed etiam in eo consentiebat cum Simone, Quòd mundum non à Deo sed ab Angelis creatū dixerit: Quòd Angelos ipsos ex illa *ἑρμολογία* Simoniana à summa virtute procreatos affirmavit: Quòd Magiam, concubitum mulierum promiscuum, omnemque merā turpitudinem lubēter amplexus est, tanquā gratiæ Dei & misericordiæ erga homines fructū: Quòd deniq; bonos & sanctos mores, qui Lege Dei docentur & præscribuntur, per gratiæ Dei prædicationē, vt iam inutiles & vanū studiū, tolli & antiquari sensit. Sed vnum caput erroris ipsius tātū persecutus est Augustinus, quòd in superiori hæresi sint alij enumerati. Theodoretus tamen, Irenæus & Euseb. lib. 3. cap. 26. alias eius hypotheses in quibus dissentit à pestilenti magistro, recēsent, in quibus non fuit tamen impius discipulus præceptore suo sanior aut melior. 1 Negavit summam virtutem, quæ hæc omnia fecisset & contineret, & quam se esse Simon dicebat, cognosci posse. Id quod tamen contendeat Simon. 2 Dixit se, non autem Simonem ipsum, esse totius mundi seruatorem, non vnus tātū Helenæ. Atque hinc intelligitur quàm maturè & necesariò Dominus suos admonuisset, ne ijs crederent qui se Christos esse dicturi erāt, Mat. 24. v. 4. 23. Hæc enim fuit prima hæreticorum hominum post Euangelium prædicari cœptum, vox  
& coa-

& coaxatio, vt se in vulgus commendarent, & opes sibi honorésque cumularent. 3 Homines in ipsius nomine esse baptizandos. 4 Baptizatorum in suo nomine, non autem in Christi aut Simonis ipsius nomine esse tantam dignitatem, vt ipsis Angelis potentiores essent, & immortales hinc manerent. Itaque carnis resurrectionem negabat. Id quod ex malè intellecto Pauli loco, qui est Ephes. 6. versu 12. & Rom. 8. versu 38. & deprauiata iam Baptismi & regenerationis natura ortum est. Ex eodem fonte orta hæresis Hymenæi, de qua Paulus 2. Timoth. 2. versu 18. & fuit sub Nerone circa annum à passo Christo 34. Ita bonus discipulus magna ambitione insatiabilique avaritia ad se honores eos rapuit, quos magistro viderat attributos, illiusque nomen prorsus obscurare conatus est.



## CAP. III.

Saturniniani cur dicti. Erroris autem capita duo præcipua.

**S**aturniniani à quodam<sup>1</sup> Saturnino, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmasse<sup>2</sup> perhibetur: qui etiam mundum solos Angelos septem præter conscientiam Dei Patris fecisse dicebat.

b.j.

I Saturnino) Dubitari non potest Saturninum & Basilidem eius socium tempore fuisse Nicolaitis hæreticis, Cerinthianis & Ebionitis posteriores, quanquam tamen hîc priore loco recensentur. Sed non vnus modò August. imò omnes tum veteres Ecclesiastici patres, tum historici Ecclesiasticarû rerum hoc loco constituunt, vt seriẽ Simonianæ hæreseos prosequantur & facilius ostendant, quòd à Simone primùm orta, per hos continuata est & propagata. A Menandro enim, vt inquit Eusebius libro 4. cap. 7. iã cœpit fieri biceps Simoniana hydra & hèresis, & à se ipsa diuelli, quû ex eadem schola profecti Saturninus & Basilides, in diuersas tamẽ sentētias de ijsdẽ reb<sup>9</sup> iuerint, & se ex eodẽ fonte in duo fœdissima diuortia diduxerint. Quod monere fuit necesse, ne quis hîc ab Augustino seriẽ temporum temerè immutatam, aut ignoranter perturbatam existimet. Saturninus autem ab Epiphanio & Theodoro Saturnilus semper appellatur: à Tertulliano tamen, Eusebio, & Ireneo Saturninus, vnde Saturniani, vel Saturniniani, nõ Saturnilani dicti. Cœpit innotescere tẽporibus Adriani imperatoris, cum eiusdem blasphemix socio Basilide, circa annum imperij Adriani x v. à Christo autem passo centesimum, cum Barcochocha quidam Iudeus, homo seditiosus, in Syria grauissimè Christianos iam afflixisset, & dux suę genti fuisset, atque incentiuum ad corripie-

da

da cōtra Romanos arma. Vnde totius Iudaicæ gentis penè internecio accidit, certè inde contigit ea dissipatio & dispalatio per vniuersas orbis regiones, in qua nunc miserrima versatur. Fuit autem Antiochenus Saturninus, qui ita cū Basilide officia partitus est, vt ipse in Syria venenum suum efflaret, & eo Syros, homines leues, imbueret, Basilides autem illud in Ægypto spargeret, & vicinis regionibus, vbi iam superstitionum quædam fundamenta iaciebantur, quæ postea cōfirmata sunt. Durauit aut hæresis Saturnianorum & Basilidianorum aliquo tempore, & viguit donec nouis Valentinianorum, qui subtiliores habiti sunt, deliriis & commentis exploderetur, ita nimirū sese mutuò confortantibus hæreticis iusto Dei iudicio, & extinguentibus. Quare Simonianorum pestis & hæresis prope sola siue suo ipsa nomine siue alieno & interpolato Menandrianorum & Saturnianorum prope per centum annos in orbe grauissimè grassata est: postea verò aliis exortibus sepulta.

2 *Confirmasse.*) Quæ fuerint Saturniniani erroris capita, docent imprimis Epiphanius & Theodoretus, quæ partim cū superioribus hæresibus consenserunt, partim dissenserunt. Ac quidem cum Simone Mago illa duo communia habuit, quæ hîc recēset Augustinus: 1 Vt suis discipulis turpiter viuere concederet, quia sola fide & cognitione, quæ de ipso esset, salui

fierent. 2 Mundum ab Angelis creatum, non à Deo: sed in eo à præceptoribus discessit, quòd non ab omnibus Angelis, sed à septem tantum conditum affirmabat, idque præter Dei Patris & summæ illius Virtutis conscientiam & iussum, quasi præter omnipotentis Dei voluntatē quicquam fieri posset. Itaque totum caput Geneseos primum euertebat. 3 Resurrectionem carnis nullam fieri, quòd non fieret corpus saluum, sed scintilla tantum cuiusdam splendoris, qui in hominem deorsum lapsus esset, quum formaretur ab Angelis. Erat tamen hic articulus in primitiua Ecclesiæ catechesi, Hebr. 6. & ab Apostolis, si quis alius, cõfirmatus. 4 Christum phantasmate non reipsa & apparuisse, & passum esse in cruce. Id quod Marcionitæ potissimum retinuerunt. 5 Hominem non à Deo, sed ab Angelis creatum, qui dixerint inter se, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Quum ij autem solum corpus formare potuissent, quod more vermis serpere tantum per terram posset, & propter virium imbecillitatem palpitare (id enim significat Scarizare, *σκαρίζειν* quod apud Irenæum lib. 1. cap. 22. retinuit interpretres) miserans summa Virtus in hoc opus tantum infirmum immisit scintillam vite. Illa autem fuit splendor quidam luminis, quod de cælo in rebus inferioribus resplenduit, & hominem in pedes erexit, valentemque effecit. Atque hoc signum ex Platonis in Timæo scriptis haustum

stum est, & verissimam Mosis historiam euer-  
 tit. 6 Alium Iudæorum Deum, alium Chri-  
 sti Patrem Christianorumque Deum esse. In  
 quo Valentinianis & Marcionitis suppeditatū  
 est delirij argumentum. 7 Natura homines  
 esse malos. Duos. n. factose esse, vnū natura bonū:  
 alterū, natura & creatione malū. ex bono, bonos:  
 ex malo, malos ortos. Vt autē malis diabolus fa-  
 uet: ita Christus bonis auxiliatum venit. Hoc  
 ex commentitiis poetarum de Pandora & Epi-  
 metheo fabulis & narrationibus sumptū fuit.  
 8 Matrimonium eiusque vinculum dixit esse  
 doctrinam diaboli contra Pauli sententiam, 1.  
 Timoth. 4. versu 3. Hebr. 13. versu 4. Hinc En-  
 cratitæ & Tatiani postea. 9 Ab animatis ab-  
 stinendum. Hinc Manichæi. 10 Quosdam è  
 veteribus Prophetis, quorum scripta veteris  
 Testamenti pars sunt, esse à Satana. Hinc Mar-  
 cionitæ, Manichæi, & Legis atque Prophetarū  
 aduersarij. Ex iis autem intelligitur, quomodo  
 paulatim & pedetentim creuit error, & vt Sa-  
 tā sibi gradus ad alias blasphemias fecerit. Oc-  
 casio autem erroris fuit tum ambitio, tum etiā  
 crassissima rerum & articulorum in orthodoxa  
 Ecclesia notissimorum & receptissimorum i-  
 gnorantia. Tanti est nimirum veritatem à ve-  
 ris interpretibus, & ex ipsa Scriptura didicisse,  
 nō ab impostoribus accepisse. Qualis verò hu-  
 ius Satanae ministri & blasphemi hominis exi-  
 tus fuerit, legisse me non memini: sua tamen

pœna caruisse verisimile non est.



## Cap. IIII.

Basiliidiani vnde dicti. Quid à Simonianis differant. Erroris autem capita recensentur.

**B**asilidiani à Basilide<sup>1</sup>, qui hoc distabat à Simonianis<sup>2</sup>, quòd trecentos sexaginta quinque calos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quasi sanctum nomen commendabat. Α' ρ' ζ' α' σ: cuius nominis literæ secundum Græcam supputationem eundem numerum complent. Sunt enim septem. α & ρ & ζ & α & σ, id est, vnum & duo, & centum & vnum, & sexaginta & vnum, & ducenta, quæ sunt in summa trecenta sexaginta quinq;. Mundū<sup>3</sup> istum vel hominē non credunt à Deo factū, sed à trecētesimo sexagesimo quinto calo. Amatoria carmina studiosè discunt. A Iudeis non credunt Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit crucem eius.

I Basilide.) Suprà demonstratum est contemporaneas fuisse has hæreses. Ex vna enim & eadem Menandri schola tanquam riuo profecti Saturninus & Basilides in duo se diuertia cœnosa diduxerunt. Quanquam autem incompertum sibi esse dicit Epiphanius vter virus suū  
alium

alium docuerit, vel Saturninus Basilidem, vel  
 Basilides Saturninum: tamen ceteri scriptores  
 Saturninum prius docere cœpisse narrant, &  
 ab eo iam sua dogmata spargente, Basilidem  
 ex professo dissentisse, quò ingeniosior videret-  
 tur. Denique Augustinus lib.2. contra aduers.  
 Leg. cap.12. scribit Basilidem ordine quartum  
 fuisse à Simone Mago, vt Saturnino posteriore  
 fuisse oporteat. Fuit igitur praua quadã Satur-  
 nini æmulatione cōmotus Basilides ad venenū  
 euomendum. Vixit sub Adriano imperatore,  
 circa annum imperij eius xv, anno à Christo  
 passo ferè centesimo, sub Alexandro primo,  
 pontifice Romano, vt scribit Platina. Fuit au-  
 tem Ægyptius & Alexandrinus, in qua vrbe e-  
 tiam docuit, & in tota Saitide νόμος, id est, Præfe-  
 ctura, vt interpretatur C. Plinius, νόμον δὲ Αἰγύ-  
 πτιοι φασίν, inquit Epiphanius, τῶ ἐκείνης πόλεως  
 πραιοικίδα ἢ πραιχωρον. Est autem Saitidis præfe-  
 cturæ, de qua etiam Plato in Timæo meminit,  
 Alexandria metropolis. Scripsit autem in Eu-  
 angelia, & quædam ex lib. ipsius 23. Exegeticōν  
 citat Clemens Alexandrinus lib.4. Hic ferè pri-  
 mus post Nicolaitas nouis & peregrinis, siue  
 inauditis vocibus sua illa putida deliria homi-  
 nibus commendauit. In quo facem prætulit Va-  
 lentinianis, qui postea cum in huiusmodi por-  
 tentis imitati sunt. Itaque prophetas suos his  
 nominibus appellabat, vt Theodoretus & Eu-  
 seb. libr.4. cap.7. scribunt, nimirum q̄ eos no-  
 b.iiij.

minabat Barcoph. i. filium præcepti: & Barcabad vel Barcabod, (sic enim apud vtrunque historicum legendum est.) Primum autem Syriacam terminationem habet, secundum Hebræam. Barcabod autem, est filius gloriæ. Fortasse etiam ex Epiphanio in Nazarenis legi potest Barcaba, id est, vt ipse interpretatur, filius prostitute. De quo infra in hæresi Nazarenorum. Durauit aliquandiu hæc hæresis Basilidianorum, maximè in Ægypto, vti ea gens & natio fuit ab initio Euangelij Monachismis & superstitionibus addicta, atque etiam ad errores imbibendos facilis. Continuata enim est & sustentata ab Isidoro Basilidis filio post patris mortem, de quo Isidoro fecit mentionem Theodoretus, & illius ipsius libros de Moribus, legit, & commemorat Clemens Strom. lib. 3. item lib. 6. cuius prophetam appellat Barchar, non autem Parchar, vt est in impressis. Propagata autem est postea, etsi aucta & interpolata, à Valentinianis. Quis Basilidis vitæ exitus fuerit, nõ est annotatum à scriptoribus. Fuit tamen nocentissimum & pestilentissimum Satanæ instrumentum.

2 *A Simonianis*) Gestit animus pro Simonianis reponere Saturninianis. Primum quod Simonianorum nomen statim extinctum est, pro quo Menandrianorũ & Saturninianorum appellationes inualuerant. Deinde quòd Basilidiani ipsi inter Simonianos proculdubio recensentur,

cententur, sed nō inter Saturninianos. Præterea quòd cæteri scriptores ecclesiastici ita vtrâsq; hæreses istas referunt, vt primum Saturninum docuisse demonstrent: post autem Basilidem, qui studio à collega & condiscipulo dissentienti nouam propriamque hæresin condidit, vt scribit Euseb. lib. 4. cap. 6. & 22. Itaque Irenæus lib. 1. cap. 23. sic narrationis seriem connectit, vt post Saturninum statim subiiciat hæc verba, Basilides autem, vt altius aliquid & verisimilius inuenisse videretur, in immensum extendit sententiam doctrinæ suæ. Theodoretus enim scribit Basilidem contempsisse dogmata Saturnini commilitonis, vt viles & pueriles fabulas: ipsum autem alia commentum, vt, quemadmodum ait Epiphanius, τα ἑστὶν κείνον διημέρος δόξη ἀνφαντασία ἐν πλεόν. Itaque cum Basilidis studium fuerit, non à Simone, sed à Saturnino discedēdi, lego A Saturninians, quia tamē veteris codicis fide & auxilio destituor, immutare quicquam non sum ausus.

3 *Mundum istum.*) Variæ fuerunt Basilidianorum hypothefes, è quibus quatuor tantum collegit Augustinus, quas primo loco recensabo, & quarum hæc Basilidis propria maximè fuit, quòd ausus est apertissimè negare eum Deum quem gens Iudæorum videret, fuisse verum Deum. Aug. lib. 2. Cōtra aduersar. Legis. cap. 12. 1 Virtutem quandam esse summā & summum Deum ingenitum, & notum tamē,

quem etsi, vt ait Irenæus, in sua essentia inno-  
minabilem esse docent, tamen Abraxas, Græ-  
cè autem Ἀβραξας vocant sacro, vt ipsi aiunt,  
nomine. Hunc solum volunt increatum: reliqua  
autem esse creata, at mētem quidem illam pri-  
mogeniam, quam νοῦν nominant. Vnde apud  
Theodoretum malè Abraxax legitur: peius e-  
tiam apud Epiphanium alicubi Ἀβραξας. Ratio  
nominis huius Ἀβραξας fuit, quòd numerū 365,  
quot diebus cōstat annus solaris, per literarum  
significationē colligere ex certo quodam voca-  
bulo vellet, vt docet hoc loco Augustinus. Vn-  
de vti Abram non temerè Abraham dictus est:  
sic iste suum Deum magico quodam mataeo-  
logias mysterio contendit vocari Abraxas vo-  
ce Græca: non Hebraica, nec Syriaca, contrà  
quàm tamen quidam existimant. Ex hoc iam  
procreatam esse illam primogenitam mentem  
quam verbo ab Anaxagora sumpto νοῦν appel-  
labat. Vnde mentem creatam νοῦν esse dicebat.  
Ex quo fit vt locus apud Tertull. in lib. De Pre-  
script. sit planè corrigendus. sic enim legitur,  
*Hic esse dicit* ( de Basilide loquens ) *summum*  
*Deum nomine Abraxan, quo mentem creatam,*  
*quam Græcè νοῦν appellat.* Falsa enim est hæc sen-  
tentia, quia vt mētem hanc creatam ab increa-  
ta illa & summa Virtute, re ipsa distinguebat  
& essentia siue ὑποστάσει: ita etiam nomine. id  
quod docet Epiphanius his verbis, ἦν ἐν τῷ ἀγέν-  
ητων, ὁ μὲν δὲ πάντων πατὴρ· ἐκ τούτου ἀβραξας  
νοῦς.

vovs. Itaque sic apud Tertullianum restituendum locum puto, quanquam nihil annotat B. Rhenanus. *Hic esse dicit summum Deum nomine Abraxas, ( sic enim lego, non Abraxan ) ex quo mentem creatam, quam Græcè vovv appellat.*

Admonuit tamen me Hieremias Bastingius Frisius adolescens honestissimus, videri posse eum qui ex Abraxas progenitus esset non vocatum esse vovv à Basilide Græca voce, sed potius Hebræa נין Nin, quæ filium significat. Id quod diiudicandum aliis relinquo. facile enim fuit ex Nin Hebræo facere Νοῦν Græcū ab hominibus Hebraicæ linguæ ignaris. Cæterum ex hac mente procreatum λογος, id est, Verbum: ex Verbo, Prouidentiam: ex hac, Sapientiam: ex qua ipsa Angeli nati sint, quorum vltimus fuit Iudæorum Deus, quem & turbulentum & ambitiosum fuisse fingit, quique suæ genti reliquas omnes subiicere tentasset. Ex hoc delirio planè Valentinianorum & Marcionitarum feces hausta sunt. Itaque Clemens cum Basilidianis istos ferè vbique coniungit. Hæc de Abraxas.

2 Error: Esse trecentos sexaginta quinque cœlos distinctos, & alios ex aliis defluentes, quia totidem diebus constet solaris annus, & tot membra habeant singulorum hominum corpora. Cuique cœlo suum Angelum præfici, ex Angelis autem ipsis alios aliis esse puriores. Irenæus libr. 2. cap. 66. à trecentesimo verò & 65 cœlo hominem formatum fuisse. Id quod qua-

dantenus ex Peripateticorum doctrina sumptum est lib.8. de Physicor. audit. & Ἀγέλοα-  
 τρεία planè confirmat. 3 Morum turpitudinè,  
 φιλτρα & amatoria pocula, magiam & incanta-  
 tiones pròbauit. Clemès Strom.lib.3. 4 Chri-  
 stum fictè, non verè passum, sed pro eo Simo-  
 nem Cyrenensem, de quo Matth.27. versu 32.  
 Hoc etiam ex magicis phantasmatis & illusio-  
 nibus, quibus impius Basilides addictus fuit, in  
 religionem Christianam translatum est, quasi  
 fuerit Christus Dei filius quidam magus. Id  
 quod ethnici obiecerunt, vt scribit August.lib.  
 1.de Consens.Euangel. Christum autem non à  
 Deo qui mūdum creauit, missum, sed ab Abra-  
 xas, vt Iudæorum Deo omnia turbanti & ad se  
 rapienti resisteret. Christum autem nouo & in-  
 usitato antea nomine Goala & Goalna (à the-  
 mate Hebraico גאלא vel גאלא quod redimere si-  
 gnificat) appellauit. i. Redemptor, vel Redem-  
 ptor noster: non autem Iesum, quomodo ab  
 Angelo vocatus est, Matth.1. vers.21. Sic Ire-  
 næus lib.1.cap.3 Saluatorẽ esse Caula, & post-  
 ea Caulana. Qui certè locus apud eum est de-  
 prauatissimus: sed tamen facilè sanari posse vi-  
 detur. Reposuit quidem N. Galasius vir doctif-  
 simus ex Epiphanio de Nicolaitis Caulaucu,  
 Græcè καυλακωζ. Putat autem Epiphan. vocẽ  
 esse sumptam ex Isa.28. vers. 10. sed frustrá. In  
 veteri Irenæi exemplari veteris & veræ lectio-  
 nis vestigia apparent, quæ retèta esse oportuit,

nō immutata. Non. n. Caulaucauch vel Caulau-  
 cau illic: sed Caula p Goala, & Caulana p Goa-  
 lana Syriaca terminatione legitur. Quod aut p  
 1 & n Hebræis literis pronuntiarint & Græci  
 & Latini au, & pro g, dixerint c, in diphthon-  
 go, mirum illi non videbitur, qui quā idio-  
 mata diuersa diuersè pronuntient, obseruarit.  
 Est autem Goala Redemptio vel Redemptor  
 Syris hominibus. Vtitur hac voce Iob 19. v. 25.  
 Isa. 63. vers. 16. Atque hæc est mea de reponen-  
 do Irenæi loco cōiectura. 5 Error: Carnis re-  
 surrectionem negant. 6 Martyria pro nomi-  
 ne Christi nō esse toleranda, quia cū pius pa-  
 titur & affligitur, non Dei voluntate affligitur.  
 Hinc fidei abnegationes introductæ, & turpif-  
 simæ à Deo defectiones. 7 Prophetias non à  
 Deo esse: sed tantum ab Angelis. 8 Imagines  
 habere Christianis licere, & idolothytis vesci,  
 tanquam rebus merè ἀσφαλοῦς, etiam non spe-  
 ctata alterius infirmi conscientia. 9 Non om-  
 nia peccata dimitti à Deo, sed tantum inuo-  
 luntariè commissa. 10 Fidem esse naturalem,  
 quemadmodum & electionem nostram, pro  
 cuiusque opere, & merito: non autem esse Dei  
 donum. 11 Secreta hæc, & fidei mysteria ce-  
 landa esse, vel paucis omnino reuelanda. Ire-  
 næus lib. 1. cap. 23. Ita paulatim creuit error, &  
 abyssus abyssum inuexit, vt iam ab istis nullum  
 dogma fidei intactum sit relictum, tam nimi-  
 rum profundè in barathrū delabimur & mer-

gimur, vbi semel nos in illud volentes dimisimus.



## CAP. V.

Nicolaitæ vnde dicti. Erroris autem capita quatuor explicantur.

**N**icolaita à Nicolao<sup>1</sup> nominati sunt, vno, ut perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli diaconos ordinauerant. Iste cum de zelo pulcherrima coniugis culparetur, velut purgandi sui causa permisisse fertur, ut ea, qui vellet, vteretur. Quod eius factum in sectam<sup>2</sup> turpissimam versum est, in qua placet vsus indifferens foeminarum. Hi nec ab ijs, quæ idolis immolantur, cibos suos separant: & alios ritus gentium superstitionum non aduersantur. Narrant etiam quedam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potius faciunt, quàm timorem. Intelliguntur autem etiam isti non Deo tribuere<sup>3</sup> creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

1 Nicolao.) Theodoretus lib. 3. hanc hæresin commemorat post alias multas. Quidam tamen prætermittunt, siue quòd tam fœda & turpia huius dogmata essent, ut quæ admodum loquitur Tertullianus, pudor sit dicere: siue quòd

quòd magna ex parte in Gnosticis & Valentinianis (vtrique enim à Nicolaitis profecti sunt, sed imprimis Gnostici, vt ait Epiphanius) explicetur. Irenæus tamē, Tertullianus, Eusebius & Epiphanius retinent. Et dubitari non potest hanc aliquando fuisse, cùm illius apertè meminerit sacra Scriptura Apocal. 2. vers. 6. & 15. Collocat tamen eam post Cerinthum & Ebionitas Irenæus. Eusebius autem lib. 4. cap. 29. eodem tempore quo Cerinthianam, docet exortam esse. Tertullianus, Augustinus & Epiphanius ante Cerinthianos constituunt. Quæ postrema ratio temporis & series mihi videtur esse verior, etsi non longo interuallo inter se hæ discrepant. Platina sub Cleto Roman. Episcopo qui ante Clementem vixit, reponit. Nicolaus autem quem huius sectæ principem faciunt, fuit, quemadmodum Epiphanius scribit, Antiochenus: virus autem suum maximè sparsisse traditur circa initium imperij Domitiani, annum autem à Christo passo 52. ante D. Ioannis Apostoli & Euangelistæ in Patmo insula exilium. Volunt autem hunc ipsum fuisse vnum ex septem illis Diaconis qui ab Apostolis consensu Ecclesiæ primi electi fuerant, Actor. 6. Quæ fuerit autem huius tam horrendæ sectæ occasio, attingit breuiter hîc Augustinus, latius autem persequitur Clemens Alexandrinus, qui etiam Stromateus dicitur, lib. 3. Stromat. quòd suspitione zelotypiæ, qua apud Ecclesiam pro-

pter egregiã vxoris suã formã laborabat, purgatum se vellet. Itaque eam omnibus prostituit. Quod in consuetudinem siue imitationem à quibusdam postea in Ecclesia vsurpatum est. Dicit Augustinus, Quòd in sectam versum est. Quæ Augustini verba admonent me vt locum apud Isidorum lib. 8. cap. 5. meo quidẽ iudicio, deprauatum emendem. Nam qui error est in Isidoro. postea irrepsit atque retentus est in cano. Quidam autem. 24. quæst. 3. Sic igitur apud Isidorum legitur, propter pulchritudinem relinquens vxorem dixit, vt qui vellet, ea vteretur, & versa est in stuprum talis consuetudo. Reponendum est ex hoc Augustini loco, ex quo haud dubiè transcriptus est, Et versa est in sectam hæc consuetudo. Nec enim est stuprum turpis cum coniuge aliena coitus, sed adultèrium. Stuprum enim vel in viduam, vel in virginem tantum committitur, vt omnes loquuntur & sentiunt qui Latinè sciunt. Aliam verò huius tam furiosæ impietatis & turpitudinis causam affert Epiphanius lib. 1. tom. 2. quæ mihi lōgè videtur probabilior, Nimirum quòd cum Nicolaus iste ad quorundam continentium & virginum imitationem ἐν ἁγιασμῷ & perpetuò à coniuge sua abstinere contra Pauli præceptũ I. Corinth. 7. vers. 1. promisisset, impatiens coitus iterum ad vxorẽ rediit, & propter intermissam consuetudinem intemperantius ea, quæ formosissima censebatur, vsus est. Cùm se inconstan-

tia & intemperantis. libidinis vitio apud Ecclesiam prægruari sentiret, ἀλλοιωμένος τῶν ἑαυτοῦ ἡθῶν, vt ait Epiphanius, Hoc primum dixit, omnino necessarium esse vxores habere & cum iis cohabitare, adeò vt, quemadmodum scribit Epiphanius, dixerit, εἰ μή τις κατ' ἡμέραν λαγύνας ζῶντος & δύναντα μετέχειν αἰώνιος. Deinde longius progressus (nam abyssus abyssum trahit) in absurdissima & obscœnissima quæque lapsus est, tantum est Dei præceptum, & Apostoli admonitionem semel contempsisse. Durauit pauco tempore hæc hæresis ipso Nicolaitarum nomine, statim enim extincta est, vt ait Eusebius lib. 4. cap. 29. postea tamen interpolata à Gnosticis & Valentinianis reuixit. In Asia minore maximè grassatum esse hoc tam pestilens venenum, apparet ex Apocalypsi. Retulit tamen Bohemus quidam quum hæc chartis illinerem, etiam aliquas tam miseræ sectæ reliquias in Bohemia superesse, quæ etiam num hodie ieiunij Iudaici formam certa anni tempestate obseruant. Postea verò turpissimè & promiscuè miscentur.

2 *Insectam.*) Quàm fœtida & immunda fuerit hæc hæresis tum in dogmate, tum multò magis in ipsa praxi & vitæ genere, docet Scriptura, quæ nominatim ἔργα Νικολαϊτῶν detestatur Apocal. 2. vers. 6. Docent etiam Tertullianus & Epiphanius. Tertullianus enim ne illa quidem commemoranda esse censet, tam erant obscœ-

na. nimirum quando illi etiam turpitudines, complexus, & ipsas permixtiones execrabiles suos discipulos docerent. Qui locus est in lib. De Pręscript. quia tamen valde deprauatus est, describendum existimaui, vt qua potui coniectura restituerem. Sic igitur in impressis, Sunt & cętera obscęna. Omnes enim refert quosdam turpitudinis natos, & complexus, & permixtiones execrabiles, obscęnāsque coniunctas, & quędam ex ipsis adhuc turpiora. At verò locum ita legendum & emendandum puto. Sunt & cętera obscęna. Homines enim refert quosdam turpitudinis natos, & complexus, & permixtiones execrabiles, obscęnāsque coniunctiones, & quędam ex ipsis adhuc turpiora. Quę verba iam planum & facilem sensum habent: illa verò superiora & recepta vel nullum vel omnino barbarum. Epiphanius autem scribit eos, cū tam turpia & nefanda perpetrarent in promiscuo illo suo cum omnibus mulieribus coitu respondere solitos fuisse, τῆς πορνικῆς τῶ δύναμιν συλλέγομεν ἀπὸ τῶν σωματίων, διότι τῶν ῥα σαῶν, φημι δὲ, ait Epiphanius) γυνῆς ἢ καταμνηνίων. Et certè Gnosticorum & Manichęorum quę fuerunt scędissimę in ipso vitę genere & & Mysteriorum suorum actione hęreses, fuit fons & origo Nicolaitarum error & doctrina. Refert autem hęc Augustinus quatuor errorum hypotheses. I Vxores docent esse cōmunes, & promiscuum more pecudum scęminarum

narum vsu in Ecclesiã Dei inducunt: nec tantum, vt putat Isidorus, coniugia permutãda censent. Ex Platonicoꝝ dogmatis ortus hic error videri potest, quemadmodũ etiam scribit Clemens Stromat. lib.3. quem refutat Aristot. lib. 2. Πολιτικῶν, & Mahumetanis postea ad polygamiã probandã & sequendam profuit. 2 Idolothyta edi posse à Christianis nulla contraria protestatione aut idololatriæ detestatione facta, id est, citra auersionẽ idoli. Id quod tamen negat Scriptura, Apocal 2. vers. 20: 1. Ioã. 5. vers. 21. De qua quæstione interrogatus Paulus respondit, etsi idolum per se nihil est, neque quæ idolis immolata sunt, diis sunt propriè dicata (nullus enim est præter vnum illum verũ Deus) tamen quia & infirmiorum fratrum cõscientiã ratio habenda est: & non possumus mensã Domini & mensã idolorum siue dæmoniorum esse participes, idcirco idolothytis, id est immolatitiis siue carnibus siue aliis rebus, vt loquitur Augustinus contra Adimant. cap. 14. est abstinendum: id est, iis quæ immolata sunt idolis, & ex eorum sacris ad vescendum in eorum epulo reseruata porrigebantur. Quod ab ethnicis hominibus ad sacrificiorum Dei (quæ Eucharistica dicebantur in Lege) κακοζήλιαν fiebat. Vide Paulum 1. Corinth. 8. vers. 9. & 10: cap. 10. vers. 20. 21. Nec enim tales cibi sunt ex rerum verè mediarum & ἀσφαφῶρων genere, nedum verò licitarum, quemadmodum

docebant Nicolaitæ. Nec obstat quòd Christiani iis rebus bona conscientia vescerantur, quæ Iulianus apostata in macello diis suis & idolis lustrali aqua consecrauerat. Nam vt scribit Theodoretus lib. 3. cap. 15. impius ille vt aliquos Christianis laqueos indueret, & eos idola venerari persuaderet, vel cogeret, iussit Antiochiæ fontes omnes, & omnia edulia quales panes, carnes, olera lustrari & diis consecrari, vt vel idolothytis vesci Christianos vel fame perire cogeret. Itaque ex iis cibis edebant & salua quidem conscientia Christiani, etsi tamẽ, vt ait Theodoretus, lugentes & gementes, quia ista consecratio vniuersalis ciborum omnium longè differt ab ἡσολωδύτῳ, & re idolis proprio specialique sacrificio dicata & oblata. Quæ distinctio notanda est propter Papisticos ritus & confratrias, quibus interesse Christianis hominibus non licet, vt nec pane missatico indifferenter vti. Vfus est quidem Dauid pane sancto & propositionum, qui Deo, non idolis, sacer erat: sed urgente demum necessitate, & inter eos quibus nullum ex eo csu præbebat offendiculum, Matth. 12. v. 3: 1. Samuel 21. 3. error Nicolaitatum fuit, Mundum hunc ortum ex concupiscentia & coitu tenebrarum cum lumine, ex quo nati Dæmones, & angeli, & postea foedissimo genere copulæ, homines ipsi. Vnde semen è virili membro emissum, & mēstrua mulierum pro rebus sanctissimis habebant.

4 Angelos, non Deum condidisse hæc inferiora atque iis dominari. Hos autem diuerso modo & gradu distribuunt, vt intelligant ij qui nobis Angelorum Hierarchiam describunt, vnde suæ matæologias initia hauserint. Atque eosdē peregrinis nominibus atque barbaris primi appellarunt. Barbelo enim esse qui octauo cælo præsit ex Peripateticorum decretis. Est autem Barbelo filius veteris vel vetustatis, cuius mater sit Ialdaboth. Est autem Ialdaboth, mater Patrum, vel genita à Patribus. Eandem Sabaoth appellant. Est autem exercitus. De Caucaux ( quod vocabulum addit Epiphanius ) quid sentiendum existimem, dixi superius. Hæc secta superioribus magis portentosa, & exitialis fuit.

3 *Creaturam.* ) Dixit Augustinus Creaturam pro rebus creatis. Paulus *κτίων* Græcè appellat, Roman. 1. vers. 20. Ergo tribuunt Angelis creaturam, id est, tribuunt Angelis rerum creationem, & res ipsas creatas Nicolaitæ, non Deo. Id quod apertissimè repugnat Scripturæ, Genes. 1.



## CAP. VI.

Gnostici vnde dicti. Erroris capita quatuor.



*N*ostici<sup>1</sup> propter excellentiam scientia sese appellatos esse, vel appellari debuisse gloriantur, cum sint superioribus omnibus

vaniores, atque turpiores. Denique cum ab alijs atque alijs per diuersas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli eos etiam Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysterijs exercere dicuntur. Aliqui eos à Nicolaitis exortos putant, alij à Carpocrate, de quo post loquemur. Tradunt<sup>2</sup> autem dogmata fabulosissimis plena signentis. Etiam ipsi Principum vel Angelorum nominibus terribilibus infirmas animas capiunt: & de Deo, rerumque natura fabulosa, & à sanitate veritatis aliena multa contextunt. Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque aliarum quoque aduentum in hæc corpora cum alijs aereis animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur. Nam illas animas, que ex Dei procedunt substantia, reuerti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonum Deum & malum Deum in suis habere dogmatibus.

I Gnostici.) Quàm varia sit de tempore huius hærescos hominum & authorum Ecclesiasticorum sententia, ex eorum scriptis apparet. Quidam enim illam omnino prætermittunt, si nomen ipsum Gnosticorum quærat, quemadmodum in lib. De fabulis Hæreticorum Theodoret. quanquam idẽ Borboritarum meminit, & Tertullianus in lib. De Præscript. Platina etiam in vitis Papparum. Alij confundunt vt Eusebius. Alij verò distinguunt, vt Augustinus, & Epiphanius ipse, cuius ordinem sequitur hoc  
loco

loco & libro. Isidorus etiam meminit, & alij plures. Cuius tantæ varietatis causa vt intelligatur, & vt ab aliis hi separentur, sunt nobis qui proprio specialique nomine Gnostici vocantur, à Carpocratianis & Nicolaitis, cum quibus tamen in dogmate conueniunt, secernendi. Videntur enim ij demum & soli ita appellati, qui repudiato vtrorumque maiorum & authorum suorum vili, & iam odioso nomine, splendido se & nouo Gnosticos superbe nominarunt, non ab vilo homine mortali sumpta appellatione, ne de hominibus gloriari viderentur: sed ab ipsa eximia, excellenti, & singulari cognitionis suæ de Dei arcanis intelligentia & comprehensione, quam sibi falsò tribuebant. Gnosticos enim se dixerunt ἀπὸ τῆς γνώσεως, tanquam πνευματικοὺς, & qui in Dei mysteria altius quàm cæteri superiorésque omnes penetrassent. Γνώσις autem præstantem Dei cognitionem, & fidem, & veritatis, operumque Dei reuelationem atque agnitionem sæpe apud Paulum significat, quemadmodum Coloss. 2. vers. 3: 1. Corinth. 12. vers. 8. Gnostici igitur quatenus suo se nomine iactant & à Carpocratianis & Nicolaitis (ex quibus tamen duobus cœnosis fontibus tetri riuu orti sunt) distinguuntur, & aliam sectam constituunt. maximè cœperunt sub Aniceto Roman. episcopo anno à Christo passo 129. sub initium imperij M. Aurelij Antonini Philosophi & L. Veri Imp. Roman. & annis postea tri-

bus Cataphryges alij hæretici, ita ex abyſſo abyſſus. Gnoſtici quidem etiam in Aſia noti fuerunt, ſed potiſſimum, &, vt mihi quidem videtur, primùm Romæ, cùm Marcellina, quæ huius ſectæ erat, vt ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 24. & Carpocratianorum & Nicolaitarum appellationem iam Eccleſiæ exoſam dimiſerat, Romã ex Aſia veniſſet, & ſua illa tabe multos infeciſſet: quod factum eſt ſub Aniceto Romano epiſcopo, vt dixi, circa annum à Chriſto paſſo 130. vel 132. ex quo meritò verè concludi poteſt eos Carpocratianis ætate poſteriores eſſe. Nec tamen perperam hoc ordine collocantur poſt Nicolaitas, quia ex Epiphaniſ ſententia putat Auguſtinus à Nicolao potius, quàm à Carpocrate hos ſerpentes eſſe progenitos. Sic enim ille, poſtquam de Nicolao hæreſiarcha egit, ſubiicit, Πάλιν ἔτι οἱ γνωστικοὶ διαφόρως ἀπὸ τῶν φημῶν ἢ πατρῶν ἀνδρῶν ὡς ἀπὸ πικρίας κερπίσκει. In quo tamen ipſo varia eſt autorum ſententia. Irenæus enim hos potius eſſe putat infœlicem Carpocratianorum fœtum. Id quod etiam in lib. De anima, ſentit Tertullianus. Quanquam idem in Scorpiaco contra Gnoſticos, ſtirpem vnde auulſi ſint & propagati tam noxij rami nō explicat. Irenæus lib. 3. cap. 4. à Menandro Simonis diſcipulo fatos fuiſſe tanquam Medeos ſerpentes ſcribit. Vtcunque ſeges ſunt inſœlicium illorum zizaniorum, quæ in agro & Eccleſia Domini ſeminavit Satan, vt myſterium iniqui-

iniquitatis operaretur, ac tandem perageret, quod effecit. Durauit autem Gnosticorum hæresis multis seculis, tum in Asia, tum maxime in Ægypto: ex qua Valentinianorum primum, post Manichæorum, deinde Priscillianistarum lernæ & hereses disseminatæ sunt, & natæ, adeò vt in Hispania etiam post annum Domini 386. non tantum instaurata fuerit, sed latè pullulauerit, vt Sigebertus scribit. Guillelmus autem Postellus sæx mundi nostro seculo renouauit. Fuerunt autem omnium mortalium in dogmate fœdissimi, & Nicolaitis turpibus magistris, longè tamen ipsi turpiores. Vnde varijs se nominibus & sæpe de industria mutatis insinuarunt & texerunt, ne execrabili Gnosticorum nomine noti, statim ab Ecclesia exploderentur. Nec vlla fuit vnquam hæresis, quæ tot tamque diuersis appellationibus se interpolaret, & celauerit: aut quæ se in plures sectas & particulas citius dissecuerit. Nam qui hîc ab Augustino Gnostici dicuntur, ab alijs Barbeliotæ à Barbelo quem colebant, sunt nominati. Alibi Borboritæ, à cæno, voce ex Petri Apostoli epist. sumpta. Est enim *βόρβορος* sordes & cœnũ, 2. Petr. 2. v. 22. In Ægypto, vt ait Epiphanius, Stratiotici & Phibionitæ. Alibi Secundiani, Socratitæ, Zachæi, Leuitici, Coddiani. Vt autem etiam addit Theodoretus, Naasini. Et Clemens lib. 3. Stromat. Epiphaniij: ita se nunquam tuto latere posse existimarunt. Denique, quemad-

modum scribit Eusebius libro 4. cap. 7. Nullū vnquam fuit hominum genus, nomen Christianum profitentium, vnde plura & maiora infidelibus & gentibus offendicula præberentur, quàm ab istis. Docuerunt enim eos qui suę mystagogiæ participes esse vellent, turpissima quæque operari & perpetrare, quòd aliàs vim diaboli effugere non possent, nisi sua cuique potestati debita soluerentur. Vnde tandem in vniuersum Christianum nomen magnum hominum odium conflatum est, & in Deum blasphemia excitata, tam fuit Satan in hoc malo excudendo nimirum & potens & astutus. His omnino contrarij fuerunt qui Gnosimachi à Damasceno vocantur, qui omne cognitionis studium in Christianis hominibus damnant, etiam Sacrarum literarum.

2 *Tradunt autem*) Videtur Tertullianus in lib. De præscriptionib. Ophitis tribuere, quæ alij Gnosticis. Idem autē aliud Gnosticis, id est, id tantum concedit vt proprium hæreseos eorum caput, quòd martyria vel mortē pro Christi nomine & gloria tolerandam negarent, Tertullianus in Scorpiaco. Id quod tamen Basilidianorum esse proprium docuimus. Alij penè omnes ijs tantum morum turpitudinem illam quidem insignē & relatu indignam vendicant, adeò vt quod de Carpocratianis commemorat Clemens lib. 3. Stromat. de Gnosticis propriè intelligendum putent. Sunt autem hæc Clemē

tis

ris verba, Hos dicunt, ait, & aliquos alios simi-  
lium malorum æmulatores, ad cœnas conue-  
nientes (neque enim dixerim Agapen eorum  
congressionem) viros simul & mulieres, post-  
quam satietate venerē excitante exsatiati sunt,  
lumine amoto quòd eorum fornicatoriã hanc  
iustitiam pudore afficiat, auersa lucerna coi-  
re quomodo velint, & cum quibus velint. Me-  
ditatos autem in eiusmodi Agapę communi-  
onem interdum iam, à quibus velint mulieribus  
exigere Carpocrateã (diuinã enim nefas est di-  
cere) legis obedientiã. Hactenus Clēmēs. Eu-  
sebius autem addit eos promiscuè & incestuo-  
sè cum matribus & fororibus coisse, & vetitis  
cibus, qualia sunt menstrua mulierum, atque e-  
tiam nefandis maximè in suis mysteriis vfos  
esse. Inde verò ortæ & aspersæ in veros Chri-  
stianos hæc calumniæ, quòd Christiani humana  
carne vescerentur, quòd incestuosos & promi-  
scuos coitus haberent, quòd extinctis lucernis  
fœda quæque peragerent, pro quibus abster-  
gendis & Iustinus Martyr vtranque apologiam  
scripsit, & Tertullianus eruditissimum illū A-  
pologeticum librum. Astutè id quidem Satan,  
qui quum Christianorum doctrinam per se in  
odium hominum adducere non posset, mores  
& vitam eorum criminari atque calumniari,  
quia diabolus est, falsorum Christianorū præ-  
textu cœpit. Capita verò & hypotheses hu-  
ius hæreseos enumerantur multæ. Quatuor hîc

ab Augustino. I Dōgmata ineptissima de mundi cæterarūque rerum creatione, quæ hic non recenset Augustinus: Theodoretus tamē in Barbeliotis. & Irenæus lib. I. cap. 33. & 34. habent, quorum hæc penè summa est. Ex summo & primario Æone, complures alios Æones extitisse, inferiores tamen summo: ex ijs præstantiorem esse Ialdabaoth, qui quum in superiora eniti vellet, depressum gravitate adhærentis materiæ aqueæ non potuisse ad superna devenire. Itaque in medio loco subsistentem extendisse ex sua illa aqua cælum, & hæc omnia quæ cernimus. Triplicem filium summi Æonis constituūt. Vnum qui sit lumen illud Bythi incorruptibile. Alterum Ennoian *ἐννοια*, qui ex illo Bythi lumine incorruptibili secundū hominem natus sit, & homo sit ab omni interitu alienus, & in virginali spiritu seruetur. Hunc Barbeloth vocant. i. filium vetustatis. Tertium filium productum ex primo illo homine, & Spiritu sancto, quem vocant fœminam. Hunc filiū Christum nominant & Prunicum. Ex Chao autem, Aquis, Tenebris, & Abyssō miras propagationes & *περιολὰς* faciunt, adeò vt quod planè & perspicuè de rerū & mūdi huius creatione narrat Moses, absurdissimis verborum inuolucris tegant, Platoniorum & Pythagoreorum deliria & commenta sequuti. Prunicon putat Epiphanius Græcā vocem esse, & scribit *πρυνικον*, quæ velox significat. Alij verò Syriacam, quæ

quæ Redemptorem significat, אַרְיָא Paruqa. Dempto enim Camets fit Pruca & Prucon. addiderunt Græci syllabam ni, vnde Πρωγουκωσ ef- fecerunt. Alij aliunde deriuant. Hebraicis enim nominibus, non autē Græcis, figmenta sua eos obscurasse testatur Theodoretus. 2 Animas in hominibus fidelibus duas constituūt, vnam sanctam ex Dei substantia, quam Christus minuens Patris imperium, eo ignorante sit solus habiturus. Alteram esse aduentitiam, quæ ex Dei insufflatione insit homini, vti cæteris animalibus, quam solam Pater sit habiturus. Ita Irenæus sub finem cap. 34. libri 1. Hinc Manichæorum delirium de duabus animabus, quæ in homine sunt hodie permistæ, vt aiunt. Vide Augustin. libro De duabus anim. cap. 12. Ex quo iam apparet, quàm sit hic locus apud Augustinum deprauatus, vbi pro earumque legendum est *aliarum*, quoque, vel *aliarumque*, vt duplex anima ex Gnosticorum mente constituatur. Aliàs totus hic locus est valde obscurus. Verba autem, *per quas peccata in corporibus committuntur*, adiectitia videri non debent. Putant enim illi eas animas, quæ in hominibus peccant, esse nobis cum brutis communes. Itaque rursus eas in alia corpora etiam animalium brutorum Pythagorica *παλιγγενεσις* migrare & mitti. Nec id mirum, quando Thnatopsychitæ hæretici, de quibus Ioannes Damascenus, docent hominum animas pecudū animis similes esse, & eas

vnà cum corporibus interire. Quod longè peius & grauius fuit. Sanctas autem animas quæ insunt in hominibus, docent Gnostici non peccare, nec iterum in alia corpora mitti. Sed quasi iam non satis esset erroris in ipsa Gnosticorū hæreſi, addidit librarius in transcribendo errorem, vt in ipſo errore intelligēdo penè ipsi erraremus. 3 Angelos ex summo Patre & Æone procreatos, quibus nomina barbara imponunt. Septem autem genitos concubitu humano. Hoc à superioribus hæreſibus sumptum est. 4 Duplicem Deum primi illi falsissimè induxerunt, vnum bonum: alterum malū. Hinc Manichæi fæces suas apertissimè deprompserunt. 5 Christum distinguūt vt aliam personam à Iesu. Descendisse enim Christum in Iesum iam natum, & grandem, & penè triginta annorum, quo primū tempore cœpit miracula edere. Demum autem post resurrectionē vnitum esse Christum Iesu. Irenæus. Hinc Nestorianismi & Eutychianismi vetustissima & venenosissima semina, quæ postea excitauit, & robustius germinare fecit Satan. 6 Christū post resurrectionē per octodecim menses hîc in mundo versatum citra manifestissimā Scripturæ fidem, Actor. i. versu 3, Irenæus. 7 Martyria negarūt pro nomine Dei subeunda Christianis. Tertullianus. 8 Images Christi depictas coluerunt, & in summa veneratione, vt gentes; suorum deorum picturas, habuerunt.

Quod

Quod ipsum hæresin esse docet Irenæus, quia nondum in Dei Ecclesia erat idololatria, uti nunc est. Habetur enim nunc istud valde inter Papistas religiosum: inter rectè sentientes Patres, ethnicum.



## CAP. VII.

Carpocratiani vnde appellati. Erroris autem capita sex referuntur.

**C**arpocratiani sunt a<sup>1</sup> Carpocrate, qui docebat<sup>2</sup> omnem turpem operationem, omnemque adinventionem peccati: nec aliter evadi atque transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, ut possit ad calum superius perueniri. Hic etiam Iesum hominem tantummodo, & de utroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea, quæ superna essent, atque nuntiaret. Resurrectionem corporis cum Lege abiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur sociæ quædam Marcelina<sup>3</sup>, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homerii, & Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo.

<sup>1</sup> A Carpocrate) Carpocratiani hæretici, propter morum dissolutionem, etiam præter

superiores hæreticos, omnes Ecclesiæ carcino-  
mata & verrucæ habiti sunt. Ex nulla enim se-  
cta tantum odij in Christianos conflatum est,  
quantū ex ista. Itaque de ijs ita scribit Epipha-  
nius lib. 2. Tom. 1, Εἰσὶ δ' ἐν τῷ Σαταγᾷ παρεσκευα-  
σμένοι καὶ ἀεὶ βεβλημένοι εἰς ὄνειδος καὶ σκάνδαλον τῆς  
Θεοῦ Εκκλησίας. Ex ijs enim maximum in no-  
men Christianum emanavit probum propter  
turpes & nefandos mores, quemadmodū scri-  
bit Clemens lib. 3. Stromat. Id enim fore præ-  
dixerat Petrus, nimirum vt per exitiales hære-  
ses via veritatis blasphemaretur, 2. Pet. 2. versu  
2. Post Gnosticos collocat Augustinus, sequen-  
sus Epiphanium, vt Augustinum ipsum sequen-  
sus est Isidorus, quia vitæ turpitudine, & do-  
gmatum vanitate inter se simillimi fuerunt. O-  
phitis autem & aliis hos postponit Tertullia-  
nus, præponit verò Theodoretus: tam est incer-  
ta de ijsdem rebus scriptorum Ecclesiasticorū  
sententia. Carpocrate autem siue Carpocra-  
tes, à quo sūt appellati, vixit sub initio imperij  
Antonini Pij, circa annum à Christo passo 109.  
quanquam Theodoretus sub Adriano potius  
eum floruisse scribit, sed potuit notus esse sub  
vtroque. Eusebius libro 4. cap. 8. ait eum fuisse  
contemporaneum & æqualem Saturnino. Fuit  
autem Ægyptius Carpocrates, genere Alexan-  
drinus, vbi patre Ægyptio, & matre Alexandra  
Cephalenia natus est, Platoniciæ disciplinæ, &  
omnis encyclopædiæ sciētissimus: diuinæ verò  
theo-

theologiae ignorantissimus, in qua etiã Platonica schola filium Epiphanem erudiuit, vt scribit Clemens Alexandrinus. Inde verò hæreseos fons, quòd Platonis dicta & ampullas, Euangelicæ veritati magno fastu præponeret. Grassata autem est Carpocratianorum pestis non in Ægypto tantùm, sed & in Asia, & Romæ nomine Gnosticorum. Retenta tamen est aliquandiu, & sustentata ipsa suo nomine & appellatione post Carpocratem ab Epiphane filio Carpocratis, vt scribit Theodoretus, qui doctus inter Platonicos habitus est, & librum edidit, quem inscripsit ἠθικὴ, & hunc citat Epiphanius: item alium Θεὶ δὲ ἰσχυροσύνης, id est, De iustitia. Iustitiam autem definit esse κοινωνίαν Θεοῦ μετ' ἰσότητος. Quæ definitio planè obscura est, vt docet Clemens lib. 3. Stromat. Hic vixit, iusto Dei iudicio sublatus, tantùm 17. annis, & in insula Cephalaria, vnde propter matrem oriundus erat, pro Deo cultus est, imprimis Samiæ, quæ fuit vrbs Cephalaria. Epiphani successit in eadem secta Prodicus quidam, vt est apud Theodoretum. Hic verò numero superiorũ errorum non contentus, excudit & ipse nouam hæresim Adamitarum, qui præter Carpocratianica dogmata, hoc suæ hæresi addiderunt, Deum non esse orandum, quia nouit qui bonis digni sint, qui verò non sint. Clemens lib. 7. Strom.

<sup>2</sup> Docebat omnem.) Quæ fuerint huius sectæ hypotheses, tum ex hoc Augustini loco, tum

ex eiusdem lib. 2. contra aduersar. Legis, cap. 12. tum etiam ex Irenæo lib. 1. cap. 24. Tertulliano, Epiphano, & Theodoro faciliè potest intelligi. Primum enim eius hærescos authorem omnes constituunt, quæ duos deos, diuersæ penitus dissimilisque naturæ finxit. Ex qua aliæ innumerabiles natæ sunt, imprimis autem Manichei, quorum in hoc error notior fuit. Ergo prima hæc eorum hypothesis fuit, quòd omnè morū turpitudinem suos discipulos docerent. Legē enim Dei quæ bona opera docet & exigit, cōtemnebant, quia sola fide & gratia Dei salui simus. Itaque posse nostrum quemque liberè cuiuslibet vitio indulgere. Præter fidē enim omnia bona vel mala opera rerum indifferentium numero & pretio censenda, quia non natura, sed tantum hominum opinione iustum & iniustum, bonum & malum constaret & distingueretur. Itaque rerum delectum sustulerunt. Imò verò nec aliter nos posse potestatum malarum, quibus hîc subiicimur, iura & iram evitare, nisi peccemus & turpiter viuamus. Eo enim modo illæ à nobis placantur, fiuntque nobis, vt illi quidē sentiunt, propitiæ. Quo dogmate quid deterius aut vnquam fœdus Satan mundo adhuc propinarat? Itaque & communes vxore esse oportere dixerunt, & Magiam exercuerunt, & *δαιμονιας παρὶς ἐσιν*. i. familiares habuerunt, vt ait Epiphanius. 2 Nos hîc agentes esse sub imperio malarum potestatum & ange-

angelorum (hi autem sunt diaboli) quibus non nisi superatis, in supremum & extimum cælum peruenire possumus. Superari autem, si male & dissolutè viuamus. Ita honesto prætextu turpissimos mores induxerunt. 3 Dominum nostrum Iesum Christum purè hominem fuisse, & posse quenque eo & miraculis potentiorè & vitæ sanctitate puriorem viuere, non modò esse parem, si plus, quàm ille, mundo renuntiare velit. Quare & seipso & præceptorem suum Carpocratem Christo meliores esse impudentissimè affirmant & mentiuntur. Dei enim virtute assidente tantùm & communicata fuisse Christum & potentem factis, & sanctum moribus. Quæ hæresis postea Samosatenu genuit, & futuræ Arianorum hæreseos fundamenta nocentissima collocabat, & eius præsertim, quæ hodie sentit non aliter Deum esse in homine Christo, quàm in Paulo & Petro. Itaque hanc de Christo fuisse Carpocratianorum sententiã docet Epiphanius his verbis, *Εἶναι δ' αὐτὴν ὁμοιωτικὴν ἀπᾶσι, βίῳ δὲ διεννοχένας, σωφροσυνῆ τε καὶ ἀρετῆ καὶ βίῳ δικαιοσύνης.* 4 Christum ad modum cæterorum hominum ex Iosephi patris & Mariæ matris semine natum, cuius sola anima in cælũ ascenderit, & ibi est, non etiam corpus, quia illius anima robustior & valentior corpore fuit. 5 Carnis resurrectionem negat futuram, *Μεταψύχωνται* tamen animarũ in alia corpora retinet, & probat ex Pythagoreorum & Platoni-

corū dogmatis, diffimillima tamē ab illis ratione. Nā Plato ad criminum in hac vita perpetratorum iustam vltionem fieri putat, vt animæ ex improborum corporibus migrantes, post mortem in belluarum corpora, vel hominum seniorum mittantur ad prius scelus eluendum. Carpocrates autem contrā sentit, idcirco post vitam hanc mitti in alia corpora animas hominum, quòd non se satis voluptatibus expleuerint & conspurcarint. Vnde quæ animæ temperantius hīc vixerint, sæpius in corpora detrudi.

6 Mundum hunc negat à Deo factum, sed ab inferioribus angelis, inter quos præcipuus sit diabolus. Hi sunt nimirum Platonice philosophiæ fructus, & contemptæ simplicis & celestis veritatis, quæ in libris sacris tradita est, iusta sanè vltio & supplicium, per quod in reprobum sensum homines à Deo inducuntur, vt qui ethnice isti sapientiæ tantopere sunt additi, tantūque tribuunt, discant tandē aliquando sibi displicere: & tamē impudenter illi Christum suarum nugarum authorem profitebantur, quasi eas discipulis suis clā tradidisset. Vnde nec ipsi hæc tam fœda mysteria quibusuis patefacienda esse dicebant, sed discipulos suos in auricula dextra subucula & stigmatate aliquo notabant, vt scribunt Irenæus & Epiphanius.

3 *Marcellina.*) De Marcellina ista prius diximus in Gnosticis, de qua etiam meminit in hac heresi Epiphanius & Eusebius lib. 5. cap. 16.

Cum

Cum ea fornicatus & consuetudinem habuisset  
traditur fornicarius Carpocrates.



## CAP. VIII.

Cerinthiani vnde dicti, & erroris eorum capita quinque.

**C**erinthiani à Cerintho<sup>1</sup>, idémque Me-  
rinthiani à Merintho, Mundum<sup>2</sup> ab  
Angelis factum esse dicentes, & carne  
circuncidi oportere, atque alia huiusmodi  
Legis præcepta seruari. Iesum hominem tantummo-  
do fuisse, nec surrexisse, sed resurrecturum affirman-  
tes. Mille quoque annos post resurrectionem in ter-  
reno regno Christi secundum carnales ventris & li-  
bidinis voluptates futuros fabulantur: vnde etiam  
<sup>3</sup>Chiliasæ sunt appellati.

I *A* (Cerintho.) Cur Cerinthiani Carpocra-  
tiani subiiciantur, quæstio est, quum ætate prio-  
res fuisse videantur. Nam qui postremos ortos  
fuisse putant, falluntur: quanquam tamen Ter-  
tullianus & Epiphanius in ea sunt sententia vt  
à Carpocratianis profectos & deductos Cerin-  
thianos velint. Epiphanium autem sequutus est  
Augustinus, & Augustinum Isidorus lib. 8. Ety-  
molog. capite 5. Ratio fortasse hæc fuit, quòd in  
dogmate simillimi, & penè ijdé apparèt vtriq;  
Cerinthiani & Carpocratiani, vt ait Tertull.

Que certè ratio nihil efficit. Vixerunt enim eodem tempore Cerinthus & Ebion, & tamen inter se dissenserunt, nec eadem dogmata semper sunt amplexi, qui iisdem temporibus vixerunt, vti in Cerintho & Ebione apparet, quemadmodum scribit Eusebius lib.3. cap.28. Quod autem ad Epiphanium attinet, à seipso refutatur. Idem enim ille, qui Cerinthum post Carpocratem collocat, scribit disertè Cerinthum iam etate Petri & Pauli vixisse, & ijs sepe restitisse, efféque vnū ex ijs quos pseudoapostolos vocat Paulus, & qui Anthiochię ppter circūcisionem Gentium turbas mouerunt, vt est Act. 15. Carpocrates aut multis post annis extitit, vt ne coæui qdē illi fuisse iā videri possint. Quid igitur? Errorem Epiphaniij & indiligentē hoc loco supputationem sequutus est Augustinus. Nos verò ex Ireneo, Dionysio Alexandrino, Caio, Polycarpo, qui illis temporibus proximi fuerunt, itémque Eusebio lib.3. cap.23. & 24. sic obseruauimus. Theodoretum enim omittim⁹, quia de Cerinthianis nihil à nostra sententia diuersum scripsit. Cerinthum temporibus Ioannis Euangelistę vixisse, & iam tum suum illud virus & hèresin sparsisse, & passim vt blasphemum innotuisse apparet ex narratione Polycarpi, quæ refertur ab Irenæo lib.3. cap.3. & Euseb. lib.4. cap.14. lib.7. cap.23. nimirum quòd in balneum, lauandi causa, ingressurus Ioannes, postquam illic esse Cerinthum audiuit, abiit, locum

execratus, & adiecit se vereri ne balneū ipsum  
 concideret, in quo tantus hostis veritatis laui-  
 fet. Præterea videtur Ioannes quibusdam locis  
 errorem Cerinthi perstringere, vti I. Ioān. 2. v.  
 19. 22. & cap. 4. versu 3. Refertur autem huius æ-  
 tas ad imperium Domitiani, & videtur maxi-  
 mē circa annum à Christo passo 62, hæresin suā  
 euulgasse. Sparsit autem eam in Asia præfer-  
 tim. i. Asia minore & Syria, orsus ab Antiochiæ  
 vrbe, vt vult Epiphanius, qui de eo ita scribit,  
 Εγένετο δ' οὗτος ὁ Κήριθος ἐν τῇ Ἀσίᾳ διατείνων, κή-  
 κίσε τὸ κηρύγματος ἤ ἀρχῶν πεποιημένος. Latissimē au-  
 tem postea peruagata est, & disseminata, adeo  
 vt suos fautores habuerit, sed etiam interpola-  
 tores. Fuit autem Cerinthus natione Iudæus,  
 vti Epiphanius scripsit, & circuncisus. Itaque  
 omnes Christianos circuncidendos contende-  
 bat. In Ægypto philosophiā eum didicisse qui-  
 dam tradunt, sed vt postea apparuit, infeliciter.  
 Vtrunque ambitiosum hominem, & prorsus  
 corporis voluptatibus deditum fuisse demon-  
 strant ipsius errores. Merinthiani etiam dicti  
 sunt, ait ex Epiphanio Augustinus, siue quod  
 hic ipse Cerinthus se dissimulato nomine Me-  
 rinthum appellarit: siue quod Merinthus quidā  
 fuerit eius & collega & discipulus. Vtrum enim  
 ex ijs sit verius, ignorat Epiphanius ipse. Εἴτε γὰρ,  
 ait, ὁ αὐτὸς Κήριθος, Μήριθος πάλιν ἐκαλεῖται, οὐ πανύ τε  
 σαφῶς περὶ τούτου ἴσμεν. Εἴτε ἄλλός τις ἦν Μήριθος ὀνό-  
 ματι, συνυπαρξὺς τούτῳ, Θεῶ ἕξωσται. Rarò tamē Me-  
 d. iij.

rinthianorum nomine citantur. Nomen etiam ipsum Cerinthianorū statim concidit, sed Carpocratiani, & Samofateniani hanc ipsam blasphemiam nouis nominibus restituerunt, & sustentarunt. Ex quo fit vt multis in Asia seculis pessimè grassata sit.

2 *Mundum ab.*) Præter morum turpitudinem (quæ à Carpocratianis addita fuit) idem est error Carpocratianorum, & Cerinthianorum. Huius autem hîc quinque capita siue hypotheses recenset Augustinus. 1 Mundum hunc non à Deo summo, vero & primo factum esse, sed ab inferiore quadam virtute, quæ etiā verum Deum ignorarit. Iren. lib. 1. c. 25. 2 Iesum non esse natum ex virgine, sed ad modum cæterorum hominum, ex Iosephi & Marię coitu & semine. Itaque merum esse hominem, nō Deum. contra quam blasphemiam scripsit Ioannes Euangelium suum, in cuius primo capite Christi diuinitas certissimè asseritur & demonstratur. Ex virgine enim hominē nasci non posse: & maiori quodam virtutum profectu Iesum cæteris hominibus præstitisse. Itaque Iesum à Christo tanquam duas personas diuidunt, in quo est delirium Nestorianorum iam antiquissimū. Affirmant enim Christum descendisse in Iesum specie columbæ quum à Ioanne baptizaretur, & Iesum quidem passum, & resurrexisse: Christum verò non item, quia è Iesu euolauit. quo quid magis portentosum? 3 Christū  
non

non surrexiffe, fed Iefum tantùm, quem etiã  
folum & paffum effe & mortuum contendunt.

4 Circumcifionem carnis & cæteras legis Mo-  
faicæ ceremonias effe Christianis hominibus  
ad falutem neceffarias. Itaque etiam hodie in  
Dei ecclefia omnino vsum habere oportere, cõ-  
tra quam fententiam sæpe Paulus difputauit.

5 Vitam æternam fieri in hac terra, & in vrbe  
Hierofolymorum. Effe autem eam omnium  
carnis voluptatum fruitionem & vsum, quæ per  
mille tantùm annos fit duratura. Cuius fuæ fen-  
tentia fundamētum ponunt, quod mille an-  
norum in Apocal. 20. verſ. 2. facta fit mentio, ex  
quo factum eſt vt eum librum quidam Patres  
repudiarent, quemadmodum Eufeb. lib. 7. cap.  
25. ſcribit. Origeniſtæ hunc errorem poſtea ſunt  
ſecuti, & Mahumetani auidè illud de vita æ-  
terna voluptuoſa amplexi. Sed ſi poſt mille an-  
nos finitur hæc vita, non eſt æterna.

3 *Chiliaſte.*) Chiliaſtæ ſunt Millenarij, vt  
eſt in cano. Quidam. 24. quæſt. 3. Primus igitur  
huius erroris fons eſt à Cerinthianis: auctus po-  
ſtea eſt & deſenſus à quodam Nepote qui fuit  
Ægyptiorum Epifcopus, & vixit ſub Galeno  
Imperatore Romano, anno poſt Chriſtum paſ-  
ſum 231. cuius meminit Eufebius lib. 7. cap. 23.  
24. Ex quibus apparet Cerinthianicæ dogmata  
fuiſſe diutiſſimè latiffimè que propagata.



## CAP. IX.

Nazæorum error.

**N**azaræi<sup>1</sup> cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen<sup>2</sup> veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter sed spiritualiter intelligere didicerunt.

I Nazaræi.) Hæc hæreticorum secta à pluribus prætermittitur, quàm obseruetur. Neque enim de ea quicquam Irenæus, Tertullianus, Eusebius. Commemorant tamen Epiphanius, Augustinus, Theodoretus lib. 2. & Isidorus. Sed primùm de voce ipsa Nazaræi quæstio est. Nā quos hîc Augustinus Nazaræos vocat, Epiphanius Græcè Ναζωραῖος appellavit & dixit. Differunt autem hæc tria vocabula inter se & origine siue themate, & significatione: & sono siue pronuntiatione, Ναζωραῖος, Ναζωραῖος, & Νατουραῖος Ναζωραῖος vel Ναζωρνοῖς (vtrunque enim dicitur) est nomen gentile deductum ab vrbe Nazareth, quæ fuit in Galilæa gentium. Habet autem originem ab Hebræa voce נצר Netser quæ florem significat vel Germen, à qua ipsa vrbs Nazareth appellatio videtur deducta, quòd in loco floribus & arboribus confito, sita esset. Ναζωραῖος autē est vox sectæ. Eū enim significat qui Deo consecratus & separatus erat ad certum

certum tempus eoque modo, quem Deus ipse præscripserat Numer. 6. Sic Samson erat *Ναζωπαίος*. Deriuatur ab Hebræo vocabulo *נזיר* Nazir, quod segregare notat. Hęc duo facile apud Græcos & Hebræos vel sono ipso vocis distinguuntur, nedum scriptura: apud Latinos verò non item. Verterunt enim Latini scriptores vtrunque vocabulum Nazaræi, vt Tertullianus lib. 4. aduersus Marcion. & hęc August. adeò vt nomen gentis cum voce sectam significante apud Latinos confundatur. Nos autem totius huius obscuritatis tollendæ gratia viros doctissimos secuti sic dicamus, vt *Ναζωπαίος* qui à Nazareth appellantur, Nazarenos: *Ναζωπαίος* qui sunt *ήγιασμένοι* & sancti Deo, Nazaræos nominemus. Tertium autem vocabulum *Ναζωπαίος* vel *Ναζωραίοι* (T, enim Hebræorum Græci per suum ζ pronuntiant) vnde sumptum sit supra ex Epiphanio exposuimus, cum ageremus de Hæresibus Iudæorum. Nazaræi igitur, de quibus hęc agit Augustinus, sunt ij quos melius Nazarenos appellandos diximus, & ipse Augustinus lib. 19. Contra Faust. cap. 4. Symmachianos vocatos fuisse scribit, ne quid perturbationis in hac disputatione inducatur. Sed Tertullianum in loquendo sequitur hęc Augustin. Nazareni autem dicti sunt ob vrbe Nazareth, quæ iam non est, sed tempore Christi erat vrbs Galilææ, seculo autem Epiphaniij vicus tantum. Vnde & Christus ipse *Ναζωπαίος*, id est,

Nazarenus vocatus est. Tertullian. lib. 4. Ad-  
 uers. Marcion. Nazarenus vocari habebat secun-  
 dum prophetiam Christus creatoris. Vnde &  
 ipso nomine nos Iudæi Nazarenos appellant  
 per eum. Nam & sumus de quibus scriptū est,  
 Nazaræi exalbati sunt super niuem, qui scilicet  
 retrò luridati delinquentiæ maculis, & nigrati  
 ignorantæ tenebris. Christo autem appellatio  
 Nazaræi competitura erat ex infantæ latebris,  
 in quas apud Nazareth descendit vitando Ar-  
 chelaum filium Herodis. Hactenus ille. Chri-  
 stus igitur Nazaræus vel potiùs Nazarenus,  
 id est, Ναζωραῖος fuit, Act. 2. vers. 22: 3. vers. 6.  
 Ioan. 19. vers. 19. Matth. 2. vers. 23. A Christo au-  
 tem Nazareno Christiani primùm Nazareni  
 dicti, vt apparet ex Act. 24. vers. 5. & ex supe-  
 riore Tertulliani loco, itémque Epiphanio.  
 Nam primum omnium μαθηται, postea Ναζω-  
 ραῖοι, demum Antiochiæ Χριστιανοί sunt appellati,  
 qui Euangelicam fidem & doctrinam profite-  
 bantur. Hoc Nazaræorum nomen in probro  
 fuit, non honori inter infideles, vt & appella-  
 tio Galilæorum postea temporibus Iuliani a-  
 postatæ imperatoris, Ioan. 1. vers. 47. & Sarmen-  
 tariorum & Exorcistarum, quibus nominibus  
 ignominiosè vocabantur ab ethnicis Christia-  
 ni. Inter fideles autem laudi ducebatur, primis  
 illis Christianismi temporibus. Ex quo factum  
 est, vt hi hæretici, de quibus nunc agitur, fa-  
 stuosa ostentatione se Nazarenos appellarent,  
 licet

licet à vera Christi doctrina descuiſſent. Quãquam verò ignorare se fatetur Epiphanius, quo potissimum tempore extiterint, vtrùm ante Cerinthianos, vel postea: tamen alibi idem scribit tunc primùm innotuisse atque apparuisse, cùm Christiani diuinitus admoniti omnes Hierosolymis se subduxerunt, & in urbem Pelam receperunt metu & præensione quadam proximè futuræ Hierosolymorum ruinæ. Id quod incidit in postrema imperij Neronis tempora circa annum à Christo passo 37: vbi initium huius hæreseos à nobis collocabitur. Nam & ipse scribit post prædicatum in Ægypto Euangelium statim hæc zizania ibidem emerſisse & enata esse, vt inter primas hæreses meritò sit censenda. Augustinus scribit ex eo natam hæresin, quòd quæ Apostoli concesserant ad tempus inter Iudeos obseruari, illa vellent semper esse retinenda inter omnes Christianos, etiam eos qui è gentibus cõuertebantur. Quòd enim quidam hos à Nicolaitis edoctos & profectos putant, nõ est verisimile, quanquam fieri potest vt vtraque hæresis, quæ Legis ceremonias tuebatur & obseruabat, sese mutuò cõseruarit & confirmarit. Hi ipsi, vt tradit Epiphanius, postea Iessæ à Iesse patre Davidis & Christi secundum carnem progenitore dicti sunt. Maximè verò propter persecutiones, quæ tunc vndique Christianis hominibus à Iudeis inferebantur, natus & probatus videtur hic er-

ror, vt Christi Euangelium cum vsu & obseruatione ceremoniarum Legis misceretur, cōtra disputationes tamen Pauli Apostoli, quem etiam vnum Nazareni isti potissimum repudiarent atque improbarunt. Sic enim furor Iudeorum cuitabatur, dum eorum ceremoniis & errori de necessario ad salutem, ceremoniarum cultu homines assentiebantur. Sic hi ipsi Nazaræi Christianis Euangelium profitentibus annumerari videbantur, quia Iesum filium Mariæ fatebantur & agnoscebant esse Dei filium & Christum illum siue Messiam promissum Patribus. De quo fuerunt variæ Apostolorum ipsorum contra Iudæos disputationes, quæ etiã non hodie nobis cum illis restant, vt Actor. 18. vers. 28: 13. vers. 32. Plausibilis sanè ratio humanæ carni, per quam & periculum effugere, & Deum sequi sibi prudenter videbatur. Itaque breui tempore latissimè propagata est, etiam per omnes Orientis synagogas, sed imprimis vt ait Epiphanius, circa Pellam urbem, vbi primum orta est, & Berceam Syriam, Decapolin, Basanitida regionem eam, quæ Cocabe dicebatur. Durauit verò vsque ad Epiphaniij ætatem & postea. Nam illius meminit Hieronym. in epist. ad August. & Augustin. ipse lib. 1. cōtra Creico. Circumcisionem, ait, habent Iudeorum: & baptismā Christi: & lib. 19. contra Faust. cap. 18. qui ad nostra vsque tempora, ait, iam quidem in exigua, sed adhuc tamen vel in ipsa pau-  
citate

itate perdurant. Denique in tantum excreuit hæc familia, & laudata est à Philone, vt eam cæteris sectis præferat. Habuerunt enim sua monasteria eaque plura, & in Ægypto & in Cyrenaica regione illi vicina ad Tritonidis paludē, quæ olim dicebatur, sita, temporibus autem Christianorum Mariæ palus. Iudæi autem ipsi hos postea sunt odio profecuti, ad eò vt, quem admodum tradit Epiphanius bis quotidie contra eos precarentur, eosque præ ceteris disertè nominarent, quibus grauissima quæque imprecantur: nisi fortasse Epiphanius ipse fallitur. Nazarenos enim adhuc hodie Iudæi appellant veros Christianos, quos in publicis suis precibus execrantur.

2 *Omnia tamen.*) Vnum tantum erroris caput recenset Augustinus. Epiphanius plura, è quibus quædam ad alias etiam hæreses videntur pertinere. Nos præcipuas hypotheses collegimus, quæ sunt huiusmodi, & numero quinque.

1 Legis Mosaicæ ceremonias vt ad salutem necessarias obseruandas esse docent. In hoc igitur vno sunt à Iudæis dissimillimi, quòd Iesum Mariæ filium, Christum esse credunt: ad cetera penè gemelli. Quanquam in eo ipso manifestissima contradictio est, quòd Christum iam venisse & passum esse concedunt, ceremonias tamen, quæ sunt venturi & nondum exhibiti signa, retinendas docent, contra Paulum in tota epistola ad Galatas. 2 Multa de Nouria vel

Ouria (vtrunque enim apud Epiphanium legitur, & quidem rectè) fabulantur, quam fuisse uxorem Noæ Patriarchæ volunt, & interpretantur Ignem vel Estam, Græci verò *Πύρρα*, Latini autem homines Vestam, quæ publico foco & igni sacro præsit. Epiphanius tamen uxorem Noë vocat *Βαρδαίον*. At Berofus & Aretiam & Vestam. qui locus cum hoc optimè consentit. *נורה* Noura enim vel Oura apud Chaldæos ignem denotat, id quod ex Daniele apparet cap. 3. vers. 17. vti apud Hebræos Es. Vnde Esta, & ex Esta, Vesta Latinis, quæ eadem est quæ Pyrrha Græcis. Hanc dicunt sæpe arcam Noæ incendisse, & propterea arcam sapius resectam fuisse. Sed etiã eã potestates illas supernaturales, quæ Angeli dicuntur, prius quidem ignotas, hominibus manifestasse. Cuius filius dicatur *ברקבה* Barqubba, id est, filius prostitutæ & meretricis, vt ait Epiphanius. Ita illi in meas nugas sacram Scripturam transformant, dum *ιδαν επί λουον* in Prophetarum & Verbi diuini interpretatione sequuntur & afferunt. Simile quiddam habent Saturniniani. 3 Error. Plura Euangelia, & alia habent quàm vera. Habent enim Euangelium perfectionis quod vocant, carmine scriptum, & Euangelium Euē.

4 Visiones *ἐνδοσιασμοὺς*, priuatas reuelationes atque falsa miracula iactant, quemadmodum olim Mirabiliarij, & nunc Anabaptistę, vt sua deliria confirmet. Ab his enim Anabaptistarum

starum ἐνδυσμασμοὶ videntur petiti. 5 Esse eiusdem substantiæ animam quæ in hominibus, brutis animantibus, & plantis ipsis insit, quem errorem postea Manichei sunt amplexi. Ita error latius propagatus est.



## CAPVT X.

Ebioncorum error duplex. Ebionis autem accensentur Sampsei, & Elcesei vel Elcesaitæ: & quid hi postremi ab Ebionis differant.



*E*bionei<sup>1</sup> Christum etiam tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant, Circumcisionem scilicet carnis, & cetera, à quorū oneribus per Nouum Testamentum liberati sumus. Huic heresi Epiphanius Sampseos, & Elceseos ita copulat, ut sub eodem numero, tanquam una sit heresis, ponat, aliquid tamen interesse significans. Quauis et in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo.<sup>3</sup> Eusebius verò Elcesaitarum sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, & in corde seruandam.

<sup>1</sup> Ebionei.) Neque hoc loco seruata est ratio temporis, siue à Tertulliano, siue ab Augustino, siue potius ab Epiphanio, quem sequitur *πρόδος* Augustinus. Nam ipse se refutat Epi-

phanus, qui cum post Cerinthianos & Nazarenos collocet Ebioneos siue Ebionitas (vtrunq; n. ab authoribus dicitur) eos tamē dicit cœpisse & innotuisse iā ex ipso Hierosolymite vrbis excidio, quod incidit in secundum annū Vespasiani imperatoris, anno à Christo passo 40, quod tēpus præcessit hæresin Nazarenorum. Longè turpius falli videtur Eusebius, qui lib. 5. cap. 8. dicit, cum legisset Ebion versionem Bibliorum Hebræorum ab Aquila Pōtico factam in eum errorem incidisse, vt sentiret Christum merum hominem esse, & ex viri coitu, non autem ex virgine Maria natum, quia locum Isa. 7. ita conuersum ab Aquila legisset, Ecce iuuenula concipiet, non autem, Ecce virgo, &c. Sed magna certè hallucinatio & magnus calculi error est. Vixit enim sub Adriano imperatore Aquila ille Ponticus. Iam autem penè desierat esse Ebionitarum secta, & mortuus est sub Domitiano Ebion. Verius est illud quod idem Eusebius lib. 6. cap. 17. scribit Symmachum Hebræorum bibliorum interpretem videri fuisse Ebionitā, quia omnes veteris Testamenti locos in sua translatione corrumpit, qui diuinam Christi naturam, & illius ex Virgine natiuitatem demonstrant. Isidorus autem lib. 8. cap. 5. etymologiæ, omnium longissimè à vera temporis supputatione recessit, qui Ebionitas post Montanos & Nouatianos collocat, deceptus plusquam 200, annis in temporis ratione ineunda. Et cum videatur

deatur vbi que autor ille Augustinum secutus, non improbabiler credi potest illa Ebionitarum sedes transposita, quales μεταδύσεις sepissime scribarum negligentia in bonis authoribus describendis accidunt, & omnia perturbant. Ergo censerem apud Isidorum Ebionitas post Nazaræos ponendos, quando eo ipso de Ebionitis loco apud eundem Isidor. alia quoque sunt menda siue impressus, siue manuscriptus codex consulatur, quæ suis locis erunt annotanda. Ebionici igitur siue Ebionitæ ab Ebione dicti sunt. Ebion autem ab Hebræo *עביון* *Ebion*, quæ vox pauperem & afflictum significat, deducitur. Ex quo fit vt Euseb. hanc sectam non de nomine autoris cuiusquam appellatam existimet, sed de ratione professionis & vitæ, quod hi hæretici instar mendicantium qui dicuntur, Monachorum, & Cynicorum Philosophorum, perpetuam paupertatem & inopiam sequerentur & vouerent. Alij & ij quidem probati scriptores aliud sentiunt, Ebioneos, ab Ebione quodam qui hoc nomen habuerit sic nominatos, quanquam Ebion ab Hebræis etymologiam eam habet quam diximus, & egenum designat. Fuit autem Ebion vt scribit Epiphanius, *πολύμορφον τρεῖς τινος. Σαμαρειτῶν μὲν ὃ ἔχει τὸ ἑλεῖν ἔστιν, Ἰουδαίων ὃ τὸ ὄνομα, Ὀσσαίων ὃ ἔχει Ναζαραιῶν τὴν γνάμιν, Κνευδιανῶν τὸ εἶδος, Καρποκρατιανῶν τὴν κακοδοσίαν, καὶ Χεισιανῶν τὴν ἀποσηγορίαν.* Natione erat Samaritanus, sed quod nomen hoc odiosum

esse intelligeret, & periculi propter suæ gentis  
seditiones plenum, ludæum se nominare & af-  
firmare maluit. Vixit autem sub Domitiano, &  
cùm adhuc in terris ageret D. Ioannes Euange-  
lista, qui propter hunc & Cerinthum Christum  
Deum & λόγος Dei æternum esse demonstra-  
uit. Virus suum sparsit Ebion ante Nicolaitas,  
vt docet Irenæus lib. I. cap. 23. circa annum à  
Christo passo 44: quanquam Ebionem fuisse  
Cerinthi discipulum, scribit Tertullian. sed nõ  
satis perpensa temporum ratione, & authorum  
varietate. Platina sub Clemente primo Ro-  
mano Episcopo floruisse putat. Theodoret. lib.  
2. eodem quo Cerinthum tempore Ebionitas  
collocat. Cœpit autem hæc hæresis primùm,  
vt ait Epiphanius, circa Pellam, urbem Syriæ  
in vico Cochoba, quæ latius postea propagata  
est, & Basanitida regionem, deinde vicinam  
Nabataeam & Arabiam celerrimè peruasit, ex  
qua in Asiam minorem traductus est infœlix  
iste furculus, qui suo pestifero succo infecit,  
corrupitque multos. Denique Romam ipsam  
peruenit & tentauit. Perstitit autem in Arme-  
nia diutius, vt ait Epiphanius, de Archonti. Sed  
huius sectæ homines statim se in varias partes  
& diuortia alij ab alijs secuerunt, vt à seipso diffi-  
det tandem mendaciũ. Retenta tamen est diutif-  
simè, sed interpolato & mutato priori nomine,  
Sampsorum autem & Elcesaitarum assumpto,  
vt docet cum Epiphanio hoc loco Augustinus.

Paupe-

Pauperes autem Ebionæi appellabatur, & quidem contumeliosè. quòd sensu & cognitione veræ & salutaris doctrinæ turpissimè destituerentur, vt ait Eusebius, qui se tamen altius in arcana Dei penetrasse ostentabant. Sed ipsi aliam nominis huius & professæ paupertatis rationem afferebant. Nempe, quòd temporibus Apostolorum illi, qui primi huius suæ sectæ authores & principes fuerant, omnia sua in pauperes benignissimè erogassent, cuius maiorum suorum charitatis exemplum imitari & retinere se profitebantur. Sed quid charitas sine vera fide, id est, ramus à sua radice auulsus potest? Hac tamen operum bonorum commendatione, professione & larua pessimi nebulones isti imposuerunt multis infirmis & externa tantùm facta admiratibus. Quo fuci & hypocriteos genere adhuc hodie multi, quemadmodum Monachi, homines decipiunt & fascino dementsimè.

2. *Tantummodo hominem.*) Duo tantùm Ebionæi erroris capita refert Augustinus, veruntamen Epiphanius penè infinita. His autè duobus quedam addidimus. Ergo primus error est, Christum merum hominem fuisse, ex Iosephi & Mariæ coitu natum: qui propter virtutum profectum & progressus, quos maiores fecerat, iustus præ cæteris fuerit. Hic locus admonet vt Isidorum emendem, qui pro Profectum, habet in impressis Prophetiam. Et omnino optimè

restitutus erat locus in cano. Quidam. 24. quæst. 3. Ex hoc capite alij hæretici qui secuti sunt suas blasphemias & feces impudentissimas hauserunt. Christum etiam primùm quidem in cœlo conditum fuisse, quidam ex iis ipsis affirmarūt, qui postea Adamī personam assumpserit, deinde eam deposuerit, & demum ex Iosepho & Maria postremis seculis natus sit. Hæc sunt nimirum humani ingenij, vbi à veritate Dei semel recessit, inepta deliria. 2 Ceremonias Legis Mosaicæ tanquam necessarias ad salutem obseruāt & retinēt ad excludendū, vt rectè annotat Tertull. Euangelium (quāquam se Christianos dicunt, & Euangelio credere profitentur) & ad vindicandum Iudaismum. Ergo semijudæi ab Isidoro dicuntur. & ita in dic. can. Quidam. restituendum est, & pro iis verbis, Hi enim Iudæi, ex manuscripto legendum est, Hi semijudæi sunt. Itaque circumciduntur, & sabbata custodiunt, & quotidie lauant, more Iudæorum. Nec alia fuit ceremoniarum cum Euangelio miscendarum ratio, quam haberint, nisi vt grauissimas illas persecutiones à Iudæis excitas euitarent, quemadmodum factis ex illo Pauli loco colligi potest, qui est in epistola ad Galat. 5. vers. 11. 3 Carnis vsum damnant. Dōcent enim animalium esu abstinendum tanquam re nefaria quòd illa sint immunda, quia è coitu nascuntur. Hanc pestem ex Pythagoreorū lacunis prodiisse, sed tamen futuram

ram prædixit Spiritus sanctus, 1. Timoth. 4. v. 3.

4 Solum Euangelium, quod est secundum Matthæum, quia Hebraicè scriptum est, retinent & probant: reliquas noui Testamenti partes & Scripturas repudiant, imprimis autem omnes Pauli epistolas, quòd contra vsum ceremoniarum accuratissimè disputauit. Atqui & Euangelium secundum Ioannem, & Acta Apostolorum, suo seculo Hebraicè scripta commemorat Epiphanius, & à quodam Iosepho Iudæorum patriarcha in Tiberiade vrbe, tempore Constantini Magni, reperta Christianisq; liberaliter fuisse communicata. 5 Prophetias vanis & inanibus allegoriis corrumpunt, dum nodum in scirpo quærunt, & res faciles curiosis speculationibus obscurant, & peruertunt. Sic nimirum spiritu vertiginis aguntur, & in reprobum sensum tandem traduntur, qui magni animi fastu vt supra Christum sapiant, simplici Dei veritate non sunt contenti, sed ab ea scientes prudentesque desciscunt.

3 Eusebius.) De his agit Eusebius lib. 6. histor. ecclesiast. cap. 28. & nos infra.



## CAP. XI.

Valentiniani à quo appellati. Erroris autem capita sex recensentur.



Valentiniani à Valentino<sup>1</sup>, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit. Triginta

e. iiii.